

AB

38  $\frac{19}{K, 19}$





*Handwritten scribbles in pencil or light ink, possibly initials or a signature.*

*A. H. Walbaum.  
Berol. 1728*

THEOSOPHIA  
THEORETICO-  
PRACTICA,

Cultûs Divini intimiora Prin-  
cipia, cum Natura DEI arētissi-  
mè ubique connexa, re-  
præsentsans,

Et sic

Hominem, Imaginem DEI, ex  
Inspectiōe Prototypi sui ad Auto-  
rem Suum rationaliter Celebrandum  
& toto corde Colendum manu-  
ducens, adornata

per

ARNOLDUM WESENFELD,  
Ration. & Mor. Philos. Prof. Publ.  
Ord. & Civit. Francof.  
Conf. Sen.

---

FRANCOF. AD VIADRUM,  
Literis JOHAN. CHRISTOPHORI SCHWARTZII,  
Acad. Reg. Typogr.



FRANCOF. AD VIARUM.  
Ludwig Johann Christianovich von Warten  
Acad. R. S. 1792.

B. L. S.

**C**ommunicamus Tibi  
in præsens materiam E-  
minentissimam amplif-  
simamque DE DEO DIVINIS-  
QUE ATTRIBUTIS. Neque  
illam Scholastico more variis  
subtilibus Quæstionibus & Dispu-  
tationibus involutam; sed sim-  
plici filo, juxta ordinem Veri-  
tatum ab se invicem maximè  
naturaliter dependentium, con-  
textam. Præcipuè autem alla-  
boravimus, ut, quod hætenus  
*inter Desiderata* etiam *hujus*  
*Scientia* meritò connumeran-  
dum fuit, Intimam *Connexio-*  
*nem* tam Eminentium Verita-  
tum *cum pia Praxi* ubique  
adjiceremus: ut ita Homo, Ima-  
go Dei, contemplatione illa Dei  
Prototypi sui & divinarum  
Perfectionum, ad Similitudi-  
nem

nem Numinis & Perfectionem  
Deo Autore suo dignam tantò  
magis erigeretur, atq; sic discant  
tandē *Christiani Juvenes* illud,  
quod verbis fatentur, factò &  
Vita exprimere, sc. à *Timore Dei*  
*initium omnis verae Sapientiae*  
*capiendum esse*; ubi hanc Vitæ In-  
nocentiam & Pietatem tam inti-  
mè cum Natura Dei, cujus Imagi-  
nes audire gestiunt, conspirare  
advertunt. Quod si hæc non in-  
grata fuisse sensero, post tertias  
quartasque Meditationes illa  
uberius deducta, & *Schemati-*  
*bis* quibusdam ad vivum adum-  
brata, exhiberi aliquando possunt.  
*Vale, B. L.* & qualibuscunque co-  
natibus nostris, certè ad usum Vi-  
tæ perpetuò directis, *Fave*, atq;  
à nobis *Moralium per Revela-*  
*tionem Exaltatorum* specimen  
propediem, si vitam Deus & fa-  
nitatem concesserit, expecta.



✻ (I.) ✻

PRÆCOGNITA  
ad  
THEOSOPHIAM  
THEORETICO PRA-  
CTICAM.

THESIS I.

**T**heosophia est Sapientia de DEO, sive Cognitio intimior & plenior de DEO divinaq; natura & attributis.

TH. II.

**H**Æc Cognitio nostra de Deo autem, quatenus non in Sciendo subsistere, sed vel maximè ad Agendum juxta hanc scientiam vividè & habitualiter nos disponere debet, Practicà à nobis meritò appellata est.

TH. III.

**M**agno enim Vitæ humanæ damno Scientia de Deo ab illius Praxi hætenus divulgata fuit: cùm nihil nos magis ad piam & Reip. salubrem praxin disponat, quàm si  
A ipse

ipse Influxus Scientiæ hujus in actiones nostras, nexusque Theoriæ & Praxeos indissolubilis, simul ob oculos ponatur.

## OBS. I.

**U**T Cognitio Lucida & Reflexa homini data est ad liberè Operandum convenienter Luci suæ Intellectuali, ita hoc vel maximè in Scientia de Deo habet locum: dum præ aliis creaturis, ut cognoscere, ita secundum Dei cogniti Voluntatem operari, Homini Rationali vel maximè congruit. Lux enim omnis propter Usus.

## OBS. II.

**C**ognitio Intimior ab ipsa Luce Dei Nova in Homine coorta perpetuè ad praxin convenienter Luminis suo trahit. At merè Exterior Cognitio de Deo, quò latior, èd periculosior & pluribus obnoxia scrupulis ipsique Scepticismo & Atheismo est. Unde plures Athei & Sceptici inter Eruditos, quàm inter vulgus hominum reperiuntur.

OBS.



OBS. III.

**H**inc Gentiles, dum circa Cognitionem de Deo variè aberrârunt, pariter circa Operationem divinæ Voluntati conformem multimodis deflexerunt. Unde immensa Errorum materia.

OBS. IV

**S**imiliter variè secundum ideas proprias detorta Cognitio de Deo apud Christianos in plurimas Sectas scissos, Operationem & praxin innumeris modis confudit. Id quod apud Pontificios aliosque passim animadverti potest.

OBS. V.

**I**mò nemo poterit dici verè & intimius cognoscere Deum, ut Creatura Rationalis, nisi qui suam Operationem juxta Cognitionem suam ordinat.

THES. II.

**C**ognoscitur verò Deus vel per Naturam & Lumen Rationis, vel per Gratiam & Lumen Revelationis.

## OBS. I.

**H**Æc duo Lumina sibi invicem non  
Opposita, sed vel Coordinata, vel  
Subordinata existunt.

## OBS. II.

**R**atio & Revelatio se mutuo illu-  
strant. Unde prærogativa Philo-  
sophi Christiani, utroque hoc lu-  
mine instructi, præ ethnicis.

## OBS. III.

**N**on repugnat sibi invicem, eadem  
juxta Revelationem Credi, &  
juxta Rationem Sciri, ut fit in pleris-  
que Attributis divinis.

## OBS. IV.

**F**undamentum Extensionis Reve-  
lationis ultra Ratione cognita in  
Mysteriis recumbit in Infinitate  
Dei; unde plura de se revelare &  
manifestare ex beneplacito DEUS  
potest, quàm Creatura Rationalis  
Finita merè ratiocinando ex natura  
sua finitè intellectuali eruere valet.

THES.

## THES. III.

**N**on tamen sine singulari difficultate inquiritur in Theosophica hæc, & impellitur Voluntas Affectusque ad se submittendum principis hisce, quia in Statu Unionis cum corpore vivimus, ubi non modò ad hæc pure Intelligibilia Mens difficilius erigitur, quàm ad ea quæ Sensibus & Imaginationi obvia sunt; sed ob Statum Præternaturalem, in quo nos per Lapsum agimus, habitualiter inclinati ad terrestria corporea que sumus.

## OBS. I.

**P**ossibilitas Errandi & Labendi ex Statu Tentationis, & Statu Viæ ad Præmium, tum ipsa Finitudine Naturæ nostræ derivanda est: ut nuper plenius exposuimus *in Exercit. Sub. sec. Francofurt. Tom. III. Sect. I. Exerc. I. §. 15.*

## OBS. II.

**A**ctualis verò Inclinatio Voluntatis & Affectuum in Dei Voluntati contraria appetenda & agenda, ex

psu & Statu Hominis Præternaturali, juxta revelata Christianorum principia deduci comodissime potest quod in *Moralibus per Revelationem Exaltatis* suo tempore distinctius ostendemus.

THES. IV.

**I**tidem magna cum cautione in hoc genere Cognitionis versandum: quia Errores tantò graviores sunt, qui hîc contingunt, quò Materia Eminentior & cum Felicitate hujus & futuræ vitæ arctius connexa est: ut in Epicuri, Scepticorum & aliorum gentilium, nec non Spinosa, Hobbesii, Machiavelli principiis practicis patet.

THES. V.

**E**T quanquam *Theosophia Theologica*, per Revelationem nobis insinuata, ad salutem æternam nos manuducere aptior sit, ob Scientiam Lapsus & Modi reparandi; habet tamen insignes usus in illustrandis Theologicis & Moralibus veritatibus variis *Theosophia Philosophica*, præsertim

sertim Principiis quibusdam Revelatis simplicissimis suppositis: (1) In Deo Creatore & Domino nostro ritè cognoscendo & colendo, (2) in Felicitate Reip. & Vitæ Socialis, per omnes Status, firmanda, (3) in Atheis & Scepticis refellendis, (4) in Gentilibus persuadendis, (5) in Christianæ Religionis eminentiâ tuendâ, (6) in Mente à Rebus, Sensibilibus magis magisque abstrahenda, & ad converlandum cum Mente Prima, Summa & Creatore suo elevanda.

## THES. VI.

**I**Nterim in Theosophia Philosophica, præsertim Practica, sicut in plerisque Philosophiæ partibus, à Christianis certè duplici lumine collustratis, quædam ex Revelatione mutuo sumenda & præsupponenda sunt, v. g. Status Hominum Præternaturalis & Origo Universalis atque Practicæ Inclinationis humanæ ad malum, tum interventus Mediatoris Dei Hominis, nec non

Lumen & Impulsus Gratia, quo *Re-*  
*ditus* noster ad Deum & *Unio* cum  
 Eodem, Finis Theosophia, maximè  
 perficitur, quorum uberior & ac-  
 curata notitia cuius Christiano ex  
 Theologia Revelata repetenda est;  
 partim etiam illa in Moralibus Exal-  
 tatis attingemus.

THES. VII.

**N**Eque tamen hoc pacto Philoso-  
 phia & Theologia Fines confun-  
 duntur, cum non repugnet, Lu-  
 men Naturale, quod mancum &  
 tenue in multis ipsi gentiles agno-  
 vere, à Revelato hinc inde collu-  
 strari, salvâ utriusque indole &  
 claritate.

THEO-

# THEOSOPHIA

## THEORETICO-PRACTICA

### CAP. I.

## *De Natura & Attributis Divinis in genere.*

### THES. I.

**D**EI Nomine intelligimus, notione maximè communi, Ens summè *Perfectum Independens*, à quo tanquam Centro & Autore suo existere cœperint omnia, quæ usquam sunt, & ad quod proinde, tanquam ad Autorem & Centrum suum, universæ, rationales præsertim, creaturæ respectum & Relationem Primam & Universalem habere debent.

### OBS. I.

**M**odus DEUM intuitivè Cognoscendi, qui est species Visionis Spiritualis, pertinet ad Statum Patriæ & plenioris Unionis cum DEO in Mundo Intellectuali. At Modus

Cognoscendi DEUM per Comparisonem accommodatus est Statui Viæ & Separationis ab Unione plena cum Deo, Mentique humanæ in corpore & Mundo Corporeo agenti congruus est.

OBS. II.

**I**Nterim, quod quisque arctius Deo unitur, illiusque naturæ fit similior, eò magis præludia quædam Visionis divinæ se Menti ejus in Luce divina insinuant, ob Conversationem cum Deo intimiorem.

THES. II.

**S**ummæ autem Perfectionis conceptus ex Comparatione perfectionum in rebus creatis existentium, sicut in plerisque aliis attributis divinis, hauritur: cum Deum non intuendo, sed variè comparando in hac mortalitate cognoscere nobis liceat.

OBS. I.

**C**Ogitanti de Deo Perfectio Summa, sive complexus omnis perfectionis



Etionis statim insinuat se animo: aded. ut ipsi Athei & gentiles Polythei non nisi Perfectissimum quid mente designent, cum de DEO cogitant & fermocinantur.

OBS. II.

**P**olytheismus Gentilium Summam Dei Perfectionem non negavit quidem unquam, sed male applicavit, & complexum illum perfectionum, qui in uno aliquo subjecto conjungi debebat, inter plures Deos perversè distraxit, absolutæque perfectionis divinæ indolem variis opinionum & imperfectionum monstris commaculavit.

OBS. III.

**I**nter plerosque prudentiores certè gentiles inveterata opinio, Unum aliquem DEum Summum esse, qui ceteris universis præsit, idem Summæ Perfectionis & Independentiæ Deo convenientis inter nebulas falsarum de Deo opinionum liquidò ostendit,

OBS.

## OBS. IV.

**I**ndependentia Dei à quovis alio, & Dependētia omnium rerum à Deo tanquam Autore, pariter primum nostrum de Deo conceptum ingrediuntur, & fundamentum præcipuum sunt omnis nostræ Venerationis erga Deum. Cætera de Independētia divina excutiemus infrà Cap. III.

## OBS. V.

**D**ependētia omnium rerum existentium à Deo complectitur τὸ Existere vel Esse, Continuatum esse & Bene esse, atque ita Deum ut Creatorem, Conservatorem & Rectorem Summum hujus universi nobis repræsentat.

## THES. III.

**C**onsideratio DEI Autoris nostri, tanquam Entis & in Natura sua & in Attributis suis Perfectissimi, incitare nos debet, ut in omni genere actionum Deo Simillimi, adeoq; quàm perfectissimi, evadamus.

## OBS. I.

**C**um igitur perfectius sit Agere quàm

quàm Non agere, Prodesse aliis, quàm Non prodesse, Bene, Justè, Sanctè, Virtuosè, quàm Malè, Injustè, Impiè & Vitiosè agere; hinc Vita nostra quàm maximè Actuosa, Plurimis Proficua, Bona, Justa, Sancta, Virtuosa esse debet. Quod idem in omni alia comparatione Perfectionum & Imperfectionum habet locum.

THES. IV.

**C**onsideratio Dei specialis, tanquam Autoris & Centri rerum Eminentis, à quo tot Lineæ & Radii exeunt, quot Creaturæ & Effectus in natura rerum sunt conspicui, qui omnes vicissim primariò referri ad hoc Centrum debent, luculentissimum fundamentum Theosophicæ Praxeos suppeditat.

OBS.

**H**inc patet, (1) Quomodo Deus sit fons omnis Esse, omnisque Perfectionis & Virtutis Creaturarum. (2) Quantum omnes Creaturæ de Nihilo participant, tam ratione Existen-

14 *Cap. I. de Natura & Attributis*  
stentia, quàm Continuationis. (3)  
Cur Actiones omnes Creaturarum  
rationalium ad Gloriam Dei tan-  
quam Centrum suum ultimò diri-  
gendæ. (4) Quomodo omnes res  
creatæ tantum in Relatione & Sub-  
ordinatione ad Deum amandæ sint,  
in Deum solum autem Primus no-  
ster Amor & prima Reflexio tende-  
re debeat. (5) Quid Probus ab Im-  
probo distet, nempe quod radicato  
animi proposito perpetuò ad Deum  
Centrum suum inclinēt, & si quan-  
do hinc deflexit, eò per Pœnitenti-  
am redeat. Unde & plurima alia Ra-  
tionalis Pietatis adminicula deriva-  
ri possunt & debent.

THES. V.

**Q**uia Homo Solus iuter Creatu-  
ras Mundi Visibilis nobis cogni-  
tas non tantum (1) habet perfectio-  
nes naturæ suæ convenientes, sicut  
lapides & plantæ, sed & Actu  
Reflexo cognoscit illas se habere,  
& meditando percipit, quòd illas  
non à Se sed ab Alio habeat. Hinc  
(2)

(2) Quærere eum sollicitè oportet & contendere, ut inveniatur illum, à quo omnes perfectiones suas habet, Deum sc. (3) Huic tanquam omnium Bonorum & Perfectionum fonti jungere & unire se quàm arctissimè debet, atque ad ejus Similitudinem se accommodare, qui est Finis & Apex Theosophiæ & omnis Sapientiæ humanæ.

OBS.

**I**nterim Modum, quomodo Creatura Rationalis Corrupta in præsens jungere se Deo Autori suo possit & debeat, plenius Revelatio ostendit, cujus Rationalitatem etiam in *Moralibus per Rationem Exaltatis Capite tertio* dispiciemus.

THES. VI.

**A**tributa Dei universa cum Natura ejus recipiuntur, ob summam illius Simpliciter, & tantum ut Consecutiva Essentiæ, secundum nostrum concipiendi modum, spectantur.

OBS.

## OBS.

**H**inc patet, quòd illa quæ à nobis propter Imbecillitatem nostram & Comparisonem divinorum Attributorum cum illis Creaturarum spectantur ut ab Essentia sejuncta, ipsa Deo tamen maximè sint Essentialia.

## THES. VII.

**E**X quo liquet, quòd Misericordia & Justitia, Scientia & Voluntas DEI, in DEO unam & simplicissimam Essentiam constituant, omni actuum successione carentem.

## THES. VIII.

**I**dem hinc patet, ea quæ de Deo tanquam naturâ diversa, ut de Deo Irascente, Pœnitente, Amante, odio habente &c. in S. S. *Αυθρωποπαθως*, propter imbecillitatem humanam & deficientes alios modos exprimenti, dicuntur, illa *Θεοπερωως* & convenienter divinæ perfectioni & Simplicitati intelligenda & interpretanda esse. Unde Theologorum effatum: *Affectus in DEO non esse nisi Effectus.*

THES.

## THES. IX.

**P**ORRò hinc constat, multiplices illas Controversias super Scientia, Voluntate, Decretis divinis valde imminui, & in Controversias de Terminis, aut modis nostris rem concipiendi maximam partem resolvi, si attendamus, illa de quorum Ordine tam acres lites intercedunt, in DEO divinæque Sapientiæ abyfso simul esse, & multa quæ de his in sacris dicuntur, non nisi per *ἁνθρωποπρόθεσιν* cum summa Perfectione Essentiæ divinæ conciliari posse.

## OBSERV.

Hæc rectè perpensa cautiores & moderatiores nos in his Controversiis facere debent, magisque sollicitos; quomodo nostram & aliorum salutem cum timore & tremore erga tantum Numen promoveamus, quàm quomodo Vias DEI subtiliter nimis scrutemur, atque ad lites de variis nostris Modis Rem concipiendi, adeòque de

B

Hono.

Honore & Eruditione Humana  
ac Sectæ nostræ devolvamur.

THES. X.

**E**ssentia & Natura Dei perfectis-  
sima, Norma est omnium ejus  
Attributorum, adeò, ut nihil in  
Deo admittendum sit; nisi illud  
in suo genere sit Perfectissimum.

OBS. I.

Huc pertinet expressio Attribu-  
torum Dei per Negationem omnis  
Imperfectionis, per notam Univer-  
sali-tatis, & per Superlativos: ut  
quando DEus Infinitus, Omniscius,  
Justissimus appellatur. Adquæ ma-  
nuducit modus inquirendi in Na-  
turam Dei, per Viam Negationis,  
Eminentia & Caussalitat, ut vul-  
gò vocant.

OBS. II.

Quò altiùs non modò in Scien-  
tia, Bonitate Justitia, Veracitate  
ceterisque Virtutibus ascendimus;  
sed & præsertim, quò intimiùs istæ  
Virtutes per modum Habitus &  
inter se, & cum Natura atque Volun-  
tate



tate nostra copulantur, ed pro-  
piores Deo & mage Similes eva-  
dimus, in quo perfectiones Attri-  
butorum omnium cum perfectissi-  
ma Effentia ita copulantur, ut pla-  
nè unum quid sint.

THES. XI.

**D**Ivina Attributa & illud quo-  
que habent præcipui; ut (1)  
in DEO omnia & Tota Actu non  
potentiâ statim sint, & quidem in  
Summo Gradu, item (2) cùm De-  
us Esse suum habeat, à Se, per  
Se & in Se, hinc omnes ejus Perfe-  
ctiones sint sine Initio, sine Terminò,  
sine Gradu & Limitatione, sine Suc-  
cessione. Et contrà, cùm Creaturarû  
perfectiones ab Alio, per Alium,  
in Alio Deo sc. sint; hinc Initium, Fi-  
nem, Limites, Gradus, Successio-  
nem agnoscant; prout illi alteri Deo  
scil. placuit.

OBS. I.

Hinc patet, cur Virtutes &  
Perfectiones *de Deo in Abstracto* dici  
queant: scil. quòd DEUS sit ipsa  
Sapi-

20 *Cap. I. de Natura & Attributis*

Sapientia, Justitia, Bonitas &c.  
dum contrà Virtutes & Perfectio-  
nes *de Creaturis tantum in Concreto* di-  
ci possunt, quia in his Finita tan-  
tum Bonitas, Sapientia, Perfectio  
&c. conspicua est, quantum illi  
primo rerum Autori in illas deri-  
vare, vel per Naturam, vel per  
Gratiam & varia alia Media pla-  
cuit: unde Boni, Justi, Sapientes,  
Perfecti Homines denominantur-

OBS. II.

Quod ipsum ad Humilitatem,  
Venerationem DEI Autoris Nostri,  
Existimationem Aliorum, tanquam  
aliis perfectionibus particularibus  
conspicuum, manuducere nos  
debet.

CAP. II.

## CAP. II.

*De DEO Existente,  
ubi de Idea DEI Innata.*

## THES. I.

**C**ognitio Existentiæ divinæ vel Philosophica, vel Theologica est.

## THES. II.

**P**hilosophica Cognitio, Existentiæ divinæ à Creaturis ad DEum cognoscendum ferè ascendit. *Theologica* à DEO per Revelationem descendit. Illa Ratione apprehenditur, hæc Fide tenetur.

## THES. III.

**I**nsita verò vel *Innata* hæc existentiæ *Dei Idea* dicitur, quatenus Homo Rationalis simul cum ipsa Intellectuali Natura sua & Rationis usu potentiam accepit propinquam Cognoscendi Existentiæ Autoris sui Dei.

## OBS. I.

Ex quo patet, Ideam Innatam

B 3

de

II.

de Deo non esse Imaginem quamdam Hominis Menti cum ipsa Nativitate impressam, quod Experientia adversatur; sed dispositionem & Prærogativam Intellectualis Naturæ in homine rationali, ad Autorem suum, ad quem rationaliter colendum destinatus homo est, in omnibus creaturis agnoscendum & glorificandum.

## OBS. II.

Interim æquè inexcusabiles sunt, qui hac Idea ad Deum Existentem agnoscendum & colendum haut rectè utuntur, quia Homo ad *potentiam* rationalis naturæ suæ, *propinquam* præsertim, in actum deducendam obligatur.

## THES. IV.

**D**Eum Esse, Existentia *Materiae* & *Corporum materialium* infinitè variæ *Formæ* evidenter ostendunt.

## OBS. I.

Materia enim res merè passiva est, atque ita à Se non existere, nec sibi ipsi Motum, tot Formas.

marum Architectum, indere potest. Quod nec Natura vulgò dicta potuit, quæ non nisi partium Materiæ concinnam coordinationem designat, quæ existentiam materiæ posterior est.

OBS. II.

Imò Corporum Materialium imensa Multitudo, Magnitudo, Exilitas, atque tot diversorum generum, & sub his generibus contentarum innumerarum specierum infinita Varietas in suo Ordine & Propagatione per tot secula perdurans, aliquem Factorem & Governatorem intelligentem, summam potentiam & sapientiam præditum, abundè arguit.

THES. V.

DEUM Esse, *Existentia Motus*, in re merè passiva & immobili, clarè evincit.

OBSERV. I.

Præsertim, si *Motus* hujus ineffabilem Ordinem, Constantiam, rerum conditioni attemperatam indolem &c. ritè attendas.

## OBS. II.

Et cùm *Motus*, præsertim tam *Constans*, tam *Ordinatus*, tam *attemperatus* *Moventem desideret*, ille nec à *Motu particulari & Successivo*, qui semper priorem aliquem *Moventem* requirit; sed à *Motore quodam Primo, Universali, Intelligente ac summè Sapiente* esse debet.

## THES. VI.

**D**EUM Esse, *Machina* artificiosissima *Corporis Animalis* & præsertim *Humani* ipseque *Modus Propagandi animalia & homines* invictè arguit.

## OBS. I.

Si enim partium corporis animalis & humani artificiosissimam *Structuram*, egregiam & usibus suis attemperatam *Proportionem*, particularum moventium & fibrillarum devehentium immensam *Subtilitatem*, constantem in tam innumeris subjectis *Ordinem Motus* &c. perpendas, non nisi ab *Uno, Infinito & Sapient-*

pietissimo Autore & Conservatore  
ista pendere cuique fit liquidum.

OBS II.

Maximè, si consideres, nec Ani-  
mæ humanæ, nec Parentibus hu-  
jus artificii ignaris (nisi quantum à  
posteriori per Experientiam addi-  
scunt) illam tam artificiosæ fabricæ  
productionem attribui ullo colore  
posse. Sed *Parentes* quidem *Instru-*  
*menta tantum, Animam Rationalem Ho-*  
*spitem superadditum esse*, qui in  
infantili corpore, ne se quidem nec  
corporis sibi adjuncti artificiosissi-  
mam fabricam attendere, multò  
minus sibi ipsi præparare hoc cor-  
pus potuit.

THES. VII.

**D**Eum Esse, *Mentis Rationalis Exsi-*  
*stentia, & Unio cum Corpore Ma-*  
*teriali* clarè testatur.

OBS. I.

Dum enim Anima advertit  
se Esse, & quidem Cogitans quid,  
distinctissimum ab omni Corpore,  
se ipsam penetrare & liberè deter-

minare aptum, facile advertit, se à Corpore non productam esse. Nec ab Animabus Parentum coortam se esse, quæ hujus sibi facultatis consciæ non sunt. Imò adscendendo inquirens, unde Anima primorum Hominum ab omni mundi corporei indole tam diversa, advenerit, tandem sistere debet, in aliquo Ente Primo, Summo, Sapientissimo, Potentissimo, cujus Voluntate sint Animæ quicquid sunt, quem DEUM appellamus.

## OBS. II.

Imò, dum advertit Anima, se Unitam Corpori Organico esse, à quo totâ naturâ determinatur, nec scire se tamen, quomodo & quando in hoc Corpus advenerit, nec qua ratione cum hoc præcisè corpore tam arctè conjuncta & combinata sit, ut isto moto variè afficiatur, & se Volente hujus corporis organa variè se moveant, nec quis potentiam suam ita limitaverit, ut multa circa corporis hujus sui Sannita-



nitatem, Formam Staturam, Motum interiorem, Terminum suæ conjunctionis cum hoc corpore &c. non possit, facile judicat, se ab Alio quodam huic corpori conjunctam esse. Qui Alius, cùm idem in tam innumeris animabus præstiterit, illum non nisi Primum & Universalem rerum omnium Autorem Deum esse posse, liquet.

THES. VIII.

**D**Eum Esse, *Singula humani corporis & animalium Membra, nec non Arborum & Plantarum admirabilis Structura, & constans ex suis semini-Propagatio, tum Creaturæ universæ maximæ, minimæ abundè ostendunt.*

OBSERV.

Quod si enim vel *Oculi, Auris, Manus* admirandam structuram, (ut partes internas taceam) si *stamina tot Arborum & Plantarum* in tam parvis Seminibus delitescant, nullâ humana arte in aliud genus transformanda, si *lucidos siderum Orbes*  
cur-

cursum suum tam constanter peragentes, si *Maris fluxum & refluxum*, si in *Minimis Animalibus* per microscopia investigatam *admirandam structuram* & subtilissimos meatus, atque innumera ejus generis alia rationaliter excutiamus, in singulis Naturæ partibus divinum Numen suæ Existentiæ vestigia, ab Homine Rationali rimanda, impressisse animadvertemus.

THES. IX.

**D**Eum Esse, speciatim & *Finibus suis* tam sapienter *attemperata constitutio Creaturarum* quarumlibet vividè commonstrat.

OBS. I.

Neque enim Fines hos vel ipsæ hæ Creaturæ, aut illarum bruti Parentes, & Semina consilio carentia sibi præstituerere potuerunt. Tum illa inenarrabilis horum *Finium Varietas, Constantia* in eodem genere ordinis, tum *Finibus* his artificiosissimè *accommodata* illorum *Fabrica* in-

fini-

fini-  
dam  
rem

A  
rūm  
cept  
do  
sent  
trar  
aliis  
SE  
eam

A  
nisi  
um  
de  
te  
esse

finitum & Sapientissimum quendam Rerum Autorem & Directorem, verbo DEUM, ostendit.

THES. X.

**A**rgumentum *CARTESII* pro Existentia Dei *ab Idea Dei* petitum parum firmum videtur: dum & conceptus ejus de Ideis Innatis, & de modo Perfectissimi Ideam sibi repræsentandi Experientiæ aperte contrariatur. Qua de re ex innumeris aliis conferri possunt, quæ *GASSENDUS* & *PARKERUS* in eam rem adnotârunt.

THES. XI.

**A**rgumentum pro Existentia Dei à *Consensu Gentium* petitum, non nisi probabile est: dum nec omnium omnis ævi gentium Notiones de Deo nobis innotuere, & à gente ad gentem notio hæc potuisset esse translata.

OBS. I.

Interim, sicut *sola Creatura Rationalis.*

*nalis Homo existentis Dei Vestigia*  
 per omnes creaturas sparsa adverte-  
 re ac *dijudicare valet*; ita ex uni-  
 versis creaturis & illarum mirifico  
 ordine & usibus *Creatura Rationalis*  
*Laudis & Gloriæ rationale tributum*  
*Deo Autori referre debet.*

## OBS. II.

*Monstra* verò *Humana ratione*  
*Intellectus* censenda sunt, *Athei Spe-*  
*culativi*, qui *Rationem* sibi præ *Bru-*  
*tis* ad Deum Autorem suum & o-  
 mnium circa se rerum agnoscen-  
 dum & glorificandum præcipuè da-  
 tam, in instrumentum destruendæ  
 Notitiæ de Deo apud se aliosque  
 impiè convertunt; atque ita, dum  
 Eminenter Rationales videri vo-  
 lunt, *se ipsos in Bruta transformant.*

## OBS. III.

Pariter *Monstra Humana*, *ratione*  
*Voluntatis & Actionum*, censenda sunt  
*Athei Practici*, qui agunt quasi non  
 esset Deus, Deum non curantes &  
 ad eum non reflectentes, ut suam  
 ei *Voluntatem* subordinent, ut  
 Crea-

Creaturam Rationalem decebat. Quo ipso & hi *Brutis se liberè assimulant*, quæ sicut Autorem suum non agnoscunt, & Voluntatem ejus percipere apta non sunt, ita nec ad hanc Nomam se liberè componere queunt.

CAP. III.

*De DEO Independente, Honorabili, Adorabili & Glorioso.*

THES. I.

**P**ostquam Deum in Naturâ suâ, ut Ens Perfectissimum consideravimus, nunc ad primum Dei Attributum sc. *Independentiam* accedimus, in qua & plurimi Auctores ipsam Essentiam Dei constituere voluerunt. Nos verò illud ita arctè innexum Essentiæ divinæ animadvertimus, ut istud perfectioni  
Sum-

32 *Cap. III. De Deo Independente;*  
Summæ conjungendum in Natura  
DEI adumbranda putaverimus.

THES. II.

**E**T sanè fatendum, haud incon-  
cinnè etiam per Independentiam  
*Esse Dei in plerisque Attributis exprimi.*  
Quia tamen (1) & Natura Dei Spiritu-  
alis, & quæ hanc consequuntur  
Attributa Dei, tum Bonitas & Ju-  
stitia divina per consequentias lon-  
giùs deductas ex Independentia de-  
mū demonstrari possunt; tum (2) quia  
*Perfectissimi notio magis communis &*  
*instita mortalibus est, ipsumque Com-*  
*plexum perfectionis omnis in Deo*  
*dicit, sub quo etiam Independentia*  
*Dei continetur, hinc potius DEUM*  
*per Ens Perfectissimum Inde-*  
*pendens, quàm per Ens merè Inde-*  
*pendens repræsentare maluimus.*

THES. III.

**I**ndependentia verò à Deo, tan-  
quam Ente Primo, Summo & Per-  
fectissimo *per modum Negationis remo-*  
*vet omnem rationem Caussalitatatis, tam in*  
Exi.

Existendo, quàm in perpetuò Subsistendo & Operando.

THES. IV.

**E**Adem *Independentia positivè considerata* in Deo dicit *perfectissimam Sufficienciam Sui* ad Existendum à Se, ad Subsistendum per Se, & ad Operandum ex Se, sine ullius causæ aut alterius principii influxu, à quo in existendo, subsistendo aut operando pendeat: quam perfectionem nonnulli *Aseitatem* barbaro termino dixerunt.

THES. V.

**N**on autem satis accuratè, nec nisi valde improprie, *Deus Sui ipsius Causa dici*, positivè præsertim, potest, ut Cartesio placuit, cum Causæ vox notionem prioritatis & relationem ad Causatum usque includat, quod à Deo longissimè abest.

THES. VI.

**M**ultominus verò admitti potest confusa idea *Spinosa*, qui Ens  
C De-

34 *Cap. III. De Deo Independente,*  
Dependens & Independens, Mun-  
dum & DEUM, Naturam & Na-  
turæ Autorem, impie & planè ab-  
surdè, commiscet.

THES. VII.

ENS à Se & Independens manu-  
ducit nos ad Ens ab Alio & De-  
pendens, qualia Entia sunt omnes  
Creaturæ, quæ dependent à Deo,  
Ente Independente triplici Depen-  
dentiâ, sc. in Esse, in Conservari &  
in Operari.

OBS. I.

Inter Creaturas Mundi Visibi-  
lis, nobis certè cognitâs, Homo pri-  
mo Gradu in Scala rerum positus, per  
Naturam Mentalem propriam alia-  
rum rerum omnium Dependenti-  
am ab Ente quodam Alio & Inde-  
pendente solus intelligere & diju-  
dicare valet.

OBS. II.

Hinc & *Homo Rationalis, sicut*  
*ad DEUM agnoscendum per natu-*  
ram



*Honorabili, Adorabili & Glorioso.* 35

ram factus est, ita ad Eundem honorandum, adorandum & glorificandum obligatur.

OBS. III.

*Adorabilitas Dei, Summus Gradus Submissionis*, fundatur tum in consideratione rationali summæ Eminentię ac Pręstantię Divinę Naturę, tum pręsertim in consideratione universalis Dependentię nostrę & rerum omnium à Deo, scil in Esse, in Conservari, & in Operari.

OBS. IV.

Ex quo porrò patet, *parum accurate* à plerisque aliis *in sola Eminentia & Pręstantia Dei fundamentum Adorabilitatis collocari*, quę Admirationem quidem & Existimationem generare potuissent, non Submissionem & Subjectionem sui Totalem sub Deo, quę in Dependentiā nostrā universali ab Eodem pręcipuè fundatur.

OBS. V.

Ex quo & deciditur quęstio Theologorum, an Deus, quā Creator, &

C 2

Chri-

Christus, quâ Mediator, adorandi sint. Quod affirmandum, dum novum & insignem *Dependentia* divinæ gradum suppeditant illæ *Relationes*, ceu novum & peculiare *Adorabilitatis* divinæ fundamentum.

## OBS. VI.

Pessimè verò & planè impiè HOB. *BESIUS* *de Civitate* *XV. §. 5. & 7.* Omne *Religiosæ Venerationis* divinæ fundamentum *ex Irresistibili illius Potentia* derivat. Quo ipso, ut *Statum Hostilem* inter Deum & Creaturam, *rationi & revelationi* haut congruum, naturaliter existere falsò supponit; ita *Metum Servilem* fundare, *Religionem* ex mero *Timore Invisibilium* natam esse admittere debet, quin omne illud quod generosum in *Religione & Pietate* est, subvertit.

## OBS. VII.

Porro *Honor Dei*, tanquam *summus Existimationis Gradus*, versus *Ens Primum directus*, in *Eminentiam Independentis Naturæ* propriè fertur.

*Adoratio*

*Adoratio* verò, tanquam *indicium Totalis nostræ Submissionis & Subjectionis nostræ* sub DEO, in totali *Dependentia* nostræ ab Eodem fundatur præcipuè. At *Gloria* seu *Glorificatio*, tanquam *Testimonium & Communicatio divinæ Perfectionis & nostræ Obligationis*, aliis rationalibus creaturis facta, utrisque nititur.

OBS. VIII.

Quod verò *Revelatio* toties insinuat, *DEum Omnia propter Se*, propter suum *Honorem & Gloriam fecisse*, idem quoque *Ratio* clarissimè comprobat. Quippe *Deus*, *Agens Summè Rationale*, condendo tam immensam varietatem *Creaturarum* ab ipso *Dependentium*, omninò propter *Finem* seu *Bonum* aliquod egit. At cum *ipse Ens* naturâ suâ *Perfectissimum*, sibi *Sufficientissimum*, *Beatissimum*, adeoque nullius *Boni* in digum esset, per *Agnitionem Rationalem* & inde fluentem *Honorem*, *Adorationem* & *Gloriam* *Crescere* quodammodò & *Ma-*

*nifestari voluit Extra Se, per rationalis creaturæ agnitionem, laudem, submissionem totalem, adorationem & glorificationem apud alios. Et quia ipse solus Independens & Centrum rerum omnium est, à quo omnis creatura in esse, subsistere, & operari pendet; ita ad Illum solum, tanquam Centrum rerum omnium, omnis honos, laus & gloria creaturæ ultimo converti, & redire debet.*

## OBS. IX.

Ex hoc principio & alia solida & Rationalis pietatis fundamenta pendent sc. Omnes actiones Creaturæ Rationalis *subordinate* tantum ad se aut alias creaturas, *ultimo* tandem ad Deum & ejus gloriam, tanquam Entis Primi & Independentis, referendas esse.

## OBS. X.

II. Nulli creaturæ Adorabilitatem, sive Submissionem Sui Totalem, tribui sine sacrilegio & Idololatria posse.

OBS.

OBS. XI.

III. Hominem tanquam unicam Rationalem Creaturam in hoc Mundo Visibili, non tantum propter dona & perfectiones sibi datas, sed & propter perfectiones in omnibus aliis creaturis delitescentes Deum honorare, laudare & glorificare debere.

OBS. XII.

IV. Omnia in hoc Mundo Visibili propter Hominem, Hominem solam rationalem in hoc mundo creaturam propter Deum celebrandum conditum esse, cui sententiam & Revelatio subscribit, Recentiorum philosophemata in contrarium frustra sunt. Nam & (1) de Finibus Dei in vastis caelestium corporum Orbibus nobis certe non constat, & (2) si qui sint speciales, ad aliam Oeconomiam divinam pertinent, quam (3) indagare non valemus & Rationis & Revelatio- nis lumine hic deficiente.

C 4

OBS.

OBS. XIII.

V. Hominem tantò magis Crescere Intra Se, fierique perfectiorem in scientia, virtute, beatitudine, quantò pleniùs Deus, dum agnoscitur, in ipso manifestatur, & quasi Crescit Extra Se, honoratur & glorificatur apud plures rationales creaturas. Unde perpetuum nostrum studium esse debet, ut Deum in omnibus actionibus nostris glorificemus. Ex quo simul patet veram Philosophiam & Theologiam maximè Practicam esse.

OBS. XIV.

Hominem Gloriæ divinæ Instrumentū & Cognitionis divinæ componentē Creaturā non totum moriturū, sed propter perpetuitatem Honoris divini, creaturam rationalem æternū superfuturam: præsertim cum in hac vita, propter corporis sibi adherentis necessitates, non tam perfectè uniri Deo possit, in cuius tamen, arctissima unione sumam & immutabilem perfectionem suam fundari distinctissimè percipit. CAP.

## CAP. IV.

*De Vita Dei, ubi de  
Spiritualitate, nec non de Vita  
nostra & Animæ immor-  
talitate.*

## THES. I.

*V*ita Dei est, ipsa divina *Essen-  
tia*, quatenus concipitur tan-  
quam ex se & per se perfectissimè  
*Actuosa*.

## THES. II.

*V*ita Deo negari non potest, quod  
omnes Creaturæ demonstrant,  
quæ in suo ordine actuosæ sunt. Un-  
de omninò illud Ens Primum &  
Summum, à quo & per quod sunt  
omnia, certè vivere & vivendo  
perfectissimè Actuosum esse ne-  
cesse est. Præsertim, quum rò *Vi-  
vere, quàm non vivere perfectius quid-  
dam*

C 5

dam

42 C. IV. De Vita Dei, & Spiritualitate,  
dam fit, & à non vivente Viventia  
tam innumera & tam diversis mo-  
dis actuosa produci, conservari &  
dirigi fit impossibile.

THES. III.

**H**Æc autem *Vita Dei Spiritualis in-*  
*dolis* ac naturæ adeoque emi-  
nenter Rationalis fit, necesse est.  
Nam cum *Vita Mentium præ illâ*  
*corporum longè excellentior sit atque per-*  
*fectior*, neque Universum hoc sine  
cognitione ac providentia summa  
dirigi possit; Vitam summè Intel-  
lectualem Deum vivere, rationi  
quàm maximè conveniens est. Un-  
de patet, *Motus nomen*, à nonnul-  
lis hîc usurpatum, non nisi valde  
impropriè ad Vitam DEI expri-  
mendam adhiberi posse.

THES. IV.

**I**Nterim hæc *Vita Dei*, quia non  
accepta aliunde, & ubique per-  
fectissimæ naturæ ipsius congrua est;  
hinc *ab Essentia ejus indivulsa*, æter-  
na,



*item Vita nostra & Animæ immortal.* 43  
na, simplicissima, infinita & per se  
immutabilis, atque ita *semper sibi si-*  
*milis* existit; quo ipso Vitam Men-  
tium Creatarum infinitis spatiis an-  
tecedit & superat.

THES. V.

**M**anifestatur autem hæc spiritu-  
aliter actuosa *Vita Dei* tum in-  
tra se *Intelligendo & Volendo*, tum ex-  
tra se *Efficiendo & Dirigendo*, de quo-  
rum conditione infra trademus.

THES. VI.

**H**Æc Spiritualis Dei Vita, ad Spi-  
ritualem Naturam Dei cognos-  
cendam nos porrò manuducit.

THES. VII.

**Q**uod enim *Deus Spiritus* seu Mens,  
non Corpus sit, præter Reve-  
lationem id manifestissimè insinu-  
antem, liquidò apparet

I. Quia *Mentalis natura in Scala*  
*rerum prima*, adeoque perfectis-  
sima

44 C.IV. De Vita Dei & Spiritualitate,

sima, & Deo maximè conveniens est.

II. Quia *Mentalem Naturam in Deo*, quanquam infinitis gradibus altiore & perfectiore nostrâ, ostendunt omnia Opera Divina, tum perpetua eorundem & *rationalis Directio*, quæ sine Scientiâ ac Volitione perfectissimâ ne cogitari quidem possunt.

III. Quin ipsa *Naturalis Tendentia Rationalis Creaturæ ad Unionem cum Deo*, Similitudinem cum Deo arguit. Cùm simile non nisi ad simile tendat naturaliter atque inclinetur.

IV. Quia *Corporea Natura in ipsa conditione & Effentia suâ*, quatenus partes extra partes habet, & extensa atque divisibilis existit, ita disposita est, ut nullo modo Enti Perfectissimo, Simplicissimo, Creatori & Directori rerum omnium convenire possit, cui contrâ *Mentis natura*, quatenus

*item Vita nostra & Anima Imortal.* 45  
tenus Corpori & omni Materiæ  
etiam subtilissimæ contradistingui-  
tur, maxime congruit.

V. Quia in Corporea Brutaque Natura  
nulla Tendentia & inclinatio versus  
Unionem cum Deo deprehenditur,  
quam & in Corporea Natu-  
ra suo modo exstare necesse esset,  
si Deus æquè primum & perfe-  
ctissimum Corpus esset, quem-  
admodum prima & perfectissima  
mens est.

#### THES. VIII.

**N**Equè Deus simul mentalis & corpo-  
ræ naturæ particeps esse potest,  
quia corporea natura, licet subtilis-  
sima aut in immensum protensa,  
sine imperfectione, limitatione, par-  
tium diversitate, divisione, passio-  
ne &c. cogitari non potest, quæ ab  
Entis Perfectissimi & semper sibi  
similis indole longissimè absunt, ne-  
que proinde cum Essentia aut Na-  
tura ejus absolutè perfectæ con-  
jungi unquam poterunt.

TH.

## THES. IX.

**I**Nterim, cum ne Spiritus quidem creati aut mentis propriæ naturam ac indolem plenè percipiamus, dum in hoc Mundo Corporeo vivimus, corpore vestiti & præditi, multò minus de Deo Ente Perfectissimo explicare valemus, quid illud Substantiale, vel, ut cum *Gassendo* loquar, *Super substantiale sit, quod Naturam Dei Mentis Primæ & Summæ constituit*, adeoque Deum quidem esse Ens perfectissimè Cogitans, concedere possumus, meram Cogitationem Perfectissimam eundem esse asserere temerarium videtur.

## THES. X.

**Q**uia autem Deus Mens Prima, Summa, Perfectissimè Vivens atque Independens est, *ejus Vita Æterna, Immutabilis*, nusquam interrupta, *semper Eadem, Optima ac Beatissima* esse censenda est. Unde variorum divinorum Attributorum Investigandorum fontes pendent.

TH.

THES. XI.

**E**X his *Principiis Theosophicis* varia iterum & utilissima *Observata Practica*, ad exaltandam & perficiendam naturam humanam facientia, promanant.

OBS. I.

In triplici *Vita*, quam homo vivit, scil. *Corporis*, *Mentis* & *Unionis*, illa *vita Mentis* præcipua & Deo simillima est.

OBS. II.

Per *Vitam meram Corporis* Homo nihil præcipui præ *Brutis* habet. Unde illi, qui hîc tantum actuosi sunt, per *Libidinem*, *Gulam*, *Ebrietatem*, similiaque *Vitia*, infra *Hominum* conditionem se ipsos abjicere censendi sunt.

OBS. III.

In *Vita Unionis*, seu proprie dicta *Humana*, Homo in *Corpore* degens se habet, ut *Vinculum inter Mundum*

In

48 C.IV. De Vita Dei & Spiritualitate,  
Intellectualem & Corporeum. Hinc omnis  
ejus Actuositas eò referenda  
est, ut tum ex Sequâ Homine, & suo  
Corpore sibi arctissimè unito, tum ex  
Mundo Corporeo universo quàm  
plurimum laudis & Gloriæ ad De-  
um Auctorem suum redundet.

OBS. IV.

Per *Vitam Animæ* abstractam  
& merè *spiritualem* Homo *Angelicam*  
& quasi & *Divinam Vitam* vivit, quate-  
nus mente suâ cum Mundo Intel-  
lectuali & illius Præside Deo com-  
municat, & Intellectum suum ejus  
Luci, Voluntatem suam ejus Mo-  
tui & Gratix subordinat. Qua ra-  
tione Homo in hac vita per Læti-  
tiam Spiritualem quodammodò præ-  
gustat, quid de se in altera Vita  
Spirituali futurum sit. Quæ qui-  
dem sub titulo *Separationis Animæ*  
& *Corpore & Mortis Philosophicæ* Pla-  
tonici quodammodò adumbrare vo-  
luerunt; sed quæ clariùs multò  
nobis Revelatio ostendit, quæ sub  
nomi-

nomine Vitæ Novæ, Vitæ ex Deo, Lætitia Spiritualis, Præ gustus Bonorum Futurorum, Lætitia omnem rationem exsuperantis &c hujus Vitæ Spiritualis abstractæ præludia in piis & bonis designat, quò pertinent *Ecstases Piorum*.

OBS. V.

Quia autem Deus Ens summè Actuosum est, *Homini Rationali*, Dei in terris Imagini, usque aliquid agendum est, quo Dei Gloria & aliorum Salus atque Utilitas promoveatur, & aliquid boni & utilis in hoc Mundo agatur, ipsâ Creaturarum Corporearum universarum indole illum ad hoc invitante.

OBS. VI.

Quia per Mentem cum Deo, per Corpus cum rebus hujus mundi Homo connectitur, usque potio-rem Mentis quàm Corporis curam habendam esse liquet. Et licet plurima Vitæ genera circa Necesitates Corporeas occupentur, *omnis*, tamen  
D Vita

Vita ad Mentem & Rationem, atque inde *ad Primam Mentem Deum Relationem Ultimam & Præcipuam habere debet.*

OBS. VII.

Quia DEUS Ens Primum & Summum atque *pura Mens* est, hinc *Mente præcipue colendus est*, ab Homine, cui corporis membra instrumentorum instar tantum subservire debent in hoc statu Unionis; donec in altera Vita, pura & sola *Mente Deum colat.*

OBS. VIII.

Quia Deus *pura mens* est, *Cultus merè Corporeus hominis Deo gratus esse non potest*, licet *purè Mentalis in Meditationibus & Suspiriis eidem gratissimus accidat.*

OBS. IX.

Quia tamen nos homines, non *Mentes tantum*, sed & *Corpora sumus*, *Menti Unita*, *Deus à nobis Corpore quoque Colendus est*; sed ita, ut *Cultus ille Instrumentalis à mente*

te  
Su  
rig

dis  
ru  
ne  
tu  
ad  
igr  
re  
in  
tel  
mo  
du

Con  
sea  
ni  
ato  
us  
m  
ob  
no

te



*item Vita nostra & Animæ Imortal.* si  
te nostra ad Mentem Primam &  
Summam perpetuò elevetur ac di-  
rigatur.

OBS. X.

*Per Mortem in Homine tantum  
dissolvitur Corpus,* quod principia cor-  
ruptionis in ipsa natura sua conti-  
net, neque cum Vita Dei Intelle-  
ctuali per se connectitur, neque  
ad Deum, semper Vivum, quem  
ignorat, liberam Tendentiam habe-  
re advertitur, dum dissolvitur Unio,  
in quâ ut Mundi Corporei & In-  
tellectualis Vinculum hætenus Ho-  
mo egit, quæ Unio Corpore dissoluto  
durare non potest.

OBS. XI.

*Neque tamen aut nostra aut alia  
Corpora à Deo Vivente planè destrui,  
sed tantum mutari* convenit, cum u-  
nius corruptio alterius generatio,  
atque ita *unius Corporis Mors alteri-  
us Vita* sit; ut sic Deo Viventi nihil  
moriatur, sed mutetur perpetuò,  
ob naturam corporis mutationi ob-  
noxiam. Quod utrum de tota com-

52 C.IV. De Vita Dei, & Spiritualitate,  
page cœli & terræ per ignem non  
destruenda sed renovanda verum  
quoque sit, nunc in medio relin-  
quimus.

OBS. XII.

*Multò minus ergo cum dissolutione  
Corporis destrui Mentem convenit, Dei  
vivi & intellectualis Vivam & suo  
modo intellectualis naturæ com-  
potem Imaginem in terris, Dei Cre-  
atoris sui consciam, & divinæ glo-  
riæ Instrumentum rationale. Præ-  
sertim cùm Mens tanquam à Cor-  
porea Natura aliena nullū corrupti-  
onis principium in se contineat,  
& ipsum illud Desiderium arctioris  
Unionis cum Deo semper Vivo in Mun-  
do purè Intellectuali, mentis no-  
stræ vitam post mortem corporis  
abundè demonstret: cùm Deus Ra-  
dicale Desiderium perfectissimæ creatu-  
ræ suæ inane esse pati non possit.*

OBS. XIII.

Neque tantum superstes cor-  
pori *Mens* intellectualiter vivens  
erit,

*item Vita nostra & Animæ Immortal. 53*  
erit, sed & æternum cum Deo vivet,  
tanquam Intellectuale Laudis Divinæ In-  
strumentum.

OBS. XIV.

*Tantò arctius* autem post hanc vitam Mentem quamvis cum Deo intellectualiter Vivente in Mundo Intellectuali conjunctum iri certum est, *quo arctius* per intellectum & voluntatem justè & sanctè cogitando & agendo ad Deum propius accessit, divinæque perfectionis laudem in hoc statu Viæ latius propagavit. Cùm contrà, qui se hîc à Deo malitiosè separârunt, ab Eo separati sejunctique existent, & qui *contra Voluntatem Autoris sui liberè egerunt*, ea patientur, quæ Deus Gloriæ suæ *Vindex* in Imaginem sibi dissimilem *contra ipsorum Voluntatem statuere vult & potest*. Quæ Separatio à Deo, & Vindicis Dei Manus, Creaturæ Spirituali pro Morte erit, cui *Unio & Amor Dei Vitæ loco* fuisset.

OBS. XV.

Porro notandum: *Vitam in Creaturis*

54 C.IV. De Vita Dei, & Spiritualitate,  
turis non esse nisi *Imaginem Vitæ in*  
*Deo eminenti ratione coruscantis,*  
atque hanc ipsam Vitam pro diver-  
sitate Naturæ Creaturarum diver-  
sam esse.

OBS. XVI.

*Homo verò, sicut Viventis Dei*  
*Imago Spiritualis in terris est, ita*  
*Vita ejus Similitudinem Dei præ se ferre*  
*ubique debet; ut sic Vita ipsius Ratio-*  
*nalis & Spiritualis instituatur juxta*  
*Formam & Volūtatem Prototypi sui.*

OBS. XVII.

*Cū Vita Dei Spiritualis Intel-*  
*lectus & Voluntatis operationibus*  
*immensum actuosis quidem sed or-*  
*dinatis tamen constet, atque per se*  
*Iustissima, Sanctissima, Optima exi-*  
*stat; ita & Vita suarum spiritualium*  
*Imaginum Iusta, Sancta, Bona sit ne-*  
*cesse est, ut sic in illis, in quibus Simi-*  
*litudo divinæ Naturæ radiat, etiam*  
*Similitudo perfectissimæ Vitæ divinæ*  
*& Operationum Vitalium ac Spirituali-*  
*um sit conspicua.*

CAP.

## CAP. V.

*De Deo Intelligente,  
Omniscio & Sapientissimo;  
ubi de Scientia  
Humana.*

## THESIS. I.

**E**X Natura Dei Spirituali & Mentali per se patet, *Deum esse Ens Intelligens: dum intelligentia & scientia cum Natura Mentis Summæ tanquam Entis Cogitantis immediatè copulantur.*

## THES. II.

**E**T quia *Deus Prima, Summa & Perfectissima Mens est, à qua & ad quam sunt omnia; hinc ille Omniscius & Sapientissimus esse facile colligitur; præsertim ob Creationem & perpetuam Dependentiã rerum omnium ab Eodem, & Directionem rerum omnium per Eundem, quæ sine accurate*

36 C. V. De Deo Intelligente, Omniscio  
curata scientia conditionis illarum  
ne fingi quidem potest.

THES. III.

**C**Um autem Deum Intelligentem  
dicimus, illum Dei Viventis  
*Actum Perfectissimum* innuimus, quo  
ipse *omnis omnino scibilis sibi intime est*  
*consciis.* Quæ Scientia tantò magis  
clara & distincta in Deo est, quia  
ille omnium rerum existentium  
Creator, Conservator & Director  
Supremus existit.

THES. IV.

**P**Orro Scientia Dei non per ob-  
jectorum intuitum acquisita:  
non comparando, ratiocinando,  
& experiendo, quasi per Gradus ele-  
vata fuisse censerì debet, cum ipse  
*Intellectus divinus Norma sit atque*  
*Exemplar omnium Objectorum existen-*  
*tium.*

THES. V.

**H**inc & *Scientia divina Simplex,*  
*Immutabilis Æterna, Infallibilis,*  
*Adæ.*

*& Sapientissimo, ubi de Scientia Hum. 57*

*Adequata & Illimitata esse colligitur, non mutabilis, temporaria, fallibilis, inadæquata, limitata; quale quid in Scientia Creaturarum, & speciatim humana, apparet.*

THES. VI.

**E**X quo simul liquet, *non pluribus atque ab se invicem distinctis & sibi succedentibus actibus Deum intelligere, sed per ipsam Essentiam suam summè Intellectualem perspicere omnia. Unde nec Decreta divina alium atque alium cogitandi & judicandi actum diversum & sibi invicem succedentem in Deo ipso dicunt, prout vulgò rem concipiunt; sed Ordinem tantum & Modum Concipiendi quoad Nos, quæ à Deo uno & simplicissimo actu prævisa, ordinata & digesta sunt, indigent. Ex quo patet, non tam ad Naturam divinam ipsumque Ordinem salutis pertinere Controversias de Prædestinatione & annexis quæstionibus, quàm ad nostrum mo-*

58 C.V. De Deo Intelligente, Omniscio  
dum Concipiendi & Antropopathi-  
cas quasdam S.S. locutiones, in qui-  
bus Deus se humanæ imbecillitati  
accommodat. Ex quibus piè pen-  
sitatis *de Pondere harum Controversia-  
rum* facile erit judicare.

THES. VII.

**E**St ergo *Dei Sapiencia* actio seu  
*Actus purissimus*, non passio & re-  
percussio ab Objectis. Ita Intelli-  
git Se ipsum, & in Se & per Se  
res omnes extra se, quæ secundum  
Ideam Dei de iisdem factæ forma-  
tæque sunt. Ex quo patet, quo-  
modo *Scientia Dei sine diffusionem per  
Objecta* singula concipienda sit.

THES. VIII.

**P**ORRÒ *Deus Omniscius* est, ejusque  
Scientia ad omnia, quæ unquam  
fuerunt, jam sunt, & olim futura  
sunt, extenditur, adeò, ut si quid  
rerum aliquando Deum latuerit,  
id nunquam ipsum scire posse di-  
cendum sit, propter ejus simplicif-  
simam,



*Et Sapiientissimo. ubi de Scientia Hum. 59*  
simam, immutabilem, æternam &  
perfectissimam in sciendo naturam.

THES. IX.

**N**ovit & speciatim *Deus* merè *Possibilia*, quatenus omnis rei creatæ virtus & potentia ipsi, tanquam *Causæ Primæ*, est cognita, tum & quatenus *sua Sufficientiæ intimè sibi est conscius*, quæ quodvis procedere possit, ut res contradictionem non involvant, sicque fiant impossibiles, ipse optimè novit, qui suæ potentia sicut & naturæ suæ vim infinitam solus universam introspicit. Hanc *Scientiam Simplicis Intelligentiæ* vulgò vocant.

THES. X.

**F**utura novit *Deus ex Se & per Se*, adeoque certissimè, quatenus Deo omnia *Consilia* sua nota sunt, & quid illorum in quavis circumstantiâ actu existiturnum sit, quippe quod ei ab æterno in æternum præsens est. Hæc vulgò *Scientia Visionis*, nec non *Præscientia* dicitur.

TH

## THES. XI.

**D**atur & *Sapientia* quodammodo *Media & Conditionata*, in ordine tamen ad *Creaturas* tantum ita dicta, *circa Liberas* sc. *Creaturarum Rationalium Actiones*: per quam Deus ab æterno per Omniscientiam & immensam Sapientiam suam prævidit, quid positus his vel illis circumstantiis rationales creaturæ acturæ vel non acturæ essent. Qualis *Scientia Media* omninò necessaria est, *suppositâ Voluntate divina de producendis Creaturis Liberis*, præmiique & pœnæ capacibus.

## THES. XII.

**N**equè verò talis *Scientia divina* perfectioni repugnat, cum Deus non opus habeat ipeculari rerum eventus & inclinationes creaturæ liberæ, quales illæ in his aut istis circumstantiis futuræ essent. Deus enim uno, æterno atque omnia ista simul complexo actu simplicissimo pervidit universa, mediaque his con-

veni-

*Et Sapientissimo, ubi de Scientia Hum. 61*  
venientia ordinavit, sicut in *Lapsu Pro-*  
*toplastarum, in Antediluvianorum impoe-*  
*nitentia, in Pauli Conversione &c.* liquet.  
Quod & Revelatio passim ac claris-  
simè insinuat.

THES. XIII.

Sicut autem Libera Determi-  
natio Creaturæ Rationalis versus  
Malum, Creaturæ à Voluntate Cre-  
atoris sui deficientis Inclinatio per-  
versa & inordinata est: ita *Malum*  
& *Peccatum nostrum non Dei in nobis*  
*Opus, sed deficientis à Deo liberæ Vo-*  
*luntatis foetus esse distinctè colligi-*  
*tur. Dum è contra ad Bonum nos nos-*  
*met ipsos determinare non posse in hoc*  
*Statu Præternaturali ex Revelatio-*  
*ne certum est;* sed nova Numinis  
Luce, Tractu & Gratiâ hîc opus  
esse, cujus variam Oeconomiam fu-  
sius Revelatio insinuat. Quod ulti-  
mum cùm ignoraverint gentiles,  
hinc per Naturam & Philosophiam  
salvi evadere cupivere, unde Ar-  
rogantiæ humanæ patrocini-  
um a-  
pud

62 C. IV. De Deo Intelligente, Omniscio  
pud eosdem, cum *Theologia Christiana Humilitatis* omnis fundamenta ponat:  
quippe tota non Naturæ viribus,  
sed Lucis & Gratiaë divinæ novo  
influxui innixa.

THES. XIV.

Succedit *Sapientia Divina*, quæ  
quidem in ordine ad Infinitatem  
Naturæ suæ, quatenus abyssum il-  
lam divinæ perfectionis complecti-  
tur, imperscrutabilis est, quatenus  
verò Creaturis Rationalibus par-  
tim per Rationem, partim per Re-  
velationem manifestata est, Splen-  
dor quidam perfectissimæ Scientiæ  
divinæ esse colligitur, qui se in  
prudentissima constructione & di-  
rectione creaturarum exserit.

THES. XV.

ET quidem *Sapientia Divina in Mun-  
do Intellectuali nunc conspicua* tota  
ferè nos latet in præsens, Angelis in  
Bono confirmatis nunc patet, olim  
quoque Beatis hominibus in altera  
vita

Vita manifestanda. Quæ ipsa Sapi-  
entia sine dubio fundamentum præ-  
cipuum suppeditabit illius perpe-  
tuæ Laudis & Gloriæ, quam An-  
geli & Beati olim in æternum Deo  
Autori suo tribuent.

THES. XVI.

**I**lla verò *Sapientiæ divinæ pars, quæ  
in Mundo hoc Visibili ubique conspi-  
cua est, Homini Rationali, Visibilis  
Mundi incolæ, perennem divinæ Per-  
fectionis meditandæ & laudandæ mate-  
riam suppeditat.* Et licet in Creatu-  
ris visibilibus earundemque constru-  
ctione & coordinatione Fines Dei  
non assequamur universos, scrutan-  
di tamen & pervestigandi usque  
sunt, quoad per Rationis & Reve-  
lationis lumen pertingimus, quate-  
nus Rationales Creaturæ sumus, ad  
Laudem & Gloriam Sapientiæ divi-  
næ in operibus suis investigandam  
& celebrandam factæ.

THES. XVII.

**H**Æc autem *Sapientia Divina relu-*  
*cet*

64 C.V. De Deo Intelligente, Omniscio  
eet tum (1) in singulis Creaturis & e-  
arundem admiranda Fabrica, natu-  
ræ & finibus ipsarum proportiona-  
ta. (2) In tam immensa Similitudine  
& Varietate rerum. (3) In tam Ordi-  
nato vastissimorum Orbium cælestium  
Motu. In (4) egregia Proportione par-  
tium & organorum ad se invicem.  
(5) In Minimis naturæ. (6) In Scien-  
tiarum, Imperiorum, Familiarum muta-  
tionibus, innumerisque aliis hujus  
generis. Ut nihil nunc dicam de  
Sapientissima Oeconomia divina in  
opere Salutis humanæ, quam Re-  
velatio nobis ex professo insinuat.

OBS. I.

Illa autem Scientiæ & Sapientiæ  
divinæ Consideratio manuducere nos debet.

I. Ut Omniscium Numen & καρδιογνώστην  
illum omnibus nostris cogitationibus  
& actionibus interesse, intimè, &  
practicè, persuadeamur. Quod  
fundamentum & basis est divini  
Timoris & solidæ Pietatis.

OBS.



Et Sapiientissimo, ubi de Scientia Hum. 65

OBS. II.

Ut divinæ Sapientiæ *Eventus confiliorum* & *Vitæ nostræ* atque nostrorum piè & totaliter *subordinemus*, juxta illud GEULINGIANUM: *Ubi nihil valeo, ibi nihil volo!* Unde *Fundamentum veræ Humilitatis* & devotæ *Submissionis nostræ* erga Sapientiæ divinæ *Majestatem*, cum qua solida *Acquiescentia* & *firmitas humanæ mentis* in omnibus vulgò dictis *Casibus adversis* intimè *connexa* est.

OBS. III.

Ut *præsentem Deum* & divinam Sapientiam *in omnibus Naturæ Operibus* variisque *Vitæ humanæ occasionibus*, pro cujusque *modulo*, *scrutemur*, sicque *laudis* & *Gloriæ Tributum Naturale*, tanquam *Rationales Creaturæ*, Sapiientissimo *Creatori*, *Conservatori* & *Directori* hujus *universi reddamus*.

OBS. IV.

Ut *anhelemus tantò magis Vitam Futuram*, ubi DEO in *Mundo Intel-*  
E le.

66 C.V. De Deo Intelligente, Omniscio.  
lectuali propiores, *Sapientiae divinae*  
*Arcana plenius introspeciemus, perpetuoque*  
*celebrabimus.*

OBS. V.

Cui *apud Christianos* meritò ac-  
cedit pia & humillima *Veneratio*  
*infinitae Sapientiae divinae in Oecono-*  
*mia Salutis humanae & toto Opere*  
*Redemptionis nostrae, tum in Admi-*  
*rabili Temperamento divinae Justi-*  
*tiae & Misericordiae conspicuae.*

OBS. VI.

Ut *Scientiae Humanae Finitudinem*  
& *Imbecillitatem agnoscamus, nec*  
*non grande illud: Quantum est,*  
*quod nescimus!* Cùm *omnis Scientia*  
*Humana in unum collata ne mini-*  
*mam quidem creaturam ex nihilo*  
*vel ex semine non proportionato*  
*producere queat. Neque Sapien-*  
*tia & prudentia humana eventus*  
*fatales à divina providentia dispo-*  
*sitos effugere queat, licet illa ordi-*  
*nariò*



*Et Sapientissimo, ubi de Scientia Hum. 67*  
nariò per Media proportionata &  
convenientia procedere soleat.

OBS. VII.

Huc etiam pertinet *modesta Confessio Ignorantiæ nostræ in rebus, ubi omnem rei Modum nondum perspiciamus.*  
*Quæ Ignorantiæ Doctæ nomine non malè celebratur, & fundamentum ulterioris inquisitionis posteris supeditat, arroganti Ostentationi Scientiæ in rebus nondum plenè perspectis, & velo Symbolorum, Terminorū & Obscuritatis tectis, opposita.*

OBS. VIII.

Ut *Scientiam humanam* in omnibus Homīnibus, tanquam *Radium divinæ Lucis*, pro varietate ingeniorum, temporum, locorum, occasionum variè in rebus variis resplendentis veneremur, neque opprimere illū contradicendo & exagitando, sed elevare & in usus nostros totiusque generis humani convertere contendamus. *Quò Eclectica & Conci-*

*E 2*

*liatoria*

68 C. VI. De Deo Volente, Optimo, Amabili,  
liatoria Philosophandi Methodus maxi-  
mè nos manuducit.

OBS. IX.

Ut Virorum etiam Summorum Sci-  
entiam Finitudinis & Imbecillitatis suspe-  
ctam tamen usque habeamus, tantò  
magis, quò majorem fiduciam in-  
genii proprii concepere, quantoque  
Ingenia ignea minùs stabilia sunt  
in meditando, unde miscentur ab  
illis sæpe conceptus superficialii  
& merè speciosi: cujus generis  
multa apud Senecam & Cartesium occur-  
runt, & passim apud Viros famâ  
illustres advertuntur.

CAP. VI.

De DEO Volente,  
Optimo, Amabili: ubi de Le-  
gibus Nature & Cul-  
tu divino.

THES. I.

Voluntatis divinæ nomine intelligi-  
mus, Essentiam Dei Spiritua-  
lem,

lem, volendo & determinando a-  
ctuosam, & in perfectissimis volitioni-  
bus suis sibi ipsi complacentem.

THES. II.

ET quidem accuratè loquendo  
τὸ Velle nostrum duo involvit,  
ipsam sc. Inclinationem & *Determi-  
nationem intellectualis naturæ* nostræ,  
quam propriè τὸ Velle dicimus,  
tum *Complacentiam* quandam *in re  
Volita*, quæ *Complacentia* perpetu-  
us *Voluntatis* Comes est. At *Vo-  
luntas in Deo*, propter summam illi-  
us perfectionem & simplicitatem  
naturæ, *ipse Deus Volens* esse intel-  
ligitur, non facultas aut operatio  
à Deo diversa, aut in Successivas  
Volitiones distracta; tantòque ma-  
gis Deus in his Volitionibus suis si-  
bi complacere intelligitur, quantò  
ipse perfectior & ab omni imper-  
fectione in Volendo per Naturam  
suam perfectissimam remotior est

THES. III.

Sed quia *Voluntas Dei* ratione De-  
E 3 ter-

70 C. VI. De Deo Volente, Optimo, Amabili,  
terminationis, *Prima Simplificissima,*  
*Independens, Æterna* atque proinde  
*semper Eadem est*, sicut ex collata  
natura Dei perfectissima primo ob  
tutu patet, hinc liquet.

THES. IV.

I. **Q**uod *Voluntas DEI*, nullam al-  
teram *Voluntatem* ut *Nor-*  
*mam & Regulam sui sequatur* sed se-  
ipsa terminetur, tanquam *Centrum*  
& *Finis omnium*.

THES. V.

II. **Q**uod *omnia quæ sunt*, quic-  
quid sunt & operantur, sint  
*per Voluntatem Divinam de ipsis certi*  
*quid ordinantem*, quod ubi successu  
temporis se aperit, *Creatio,*  
*Conservatio & Concurfus Dei* dicitur,  
cum ipsa hæc æterna Dei de rebus  
*Voluntas* sejunctim ab ipsarum exi-  
stentia spectata, *Decretum divinum*  
vulgò dicatur.

THES. VI.

III. **Q**uod proinde *Decreta Divina*  
non

non sint nisi ipsa Voluntas Divina rerum conditionem variè ordinans. Adeoque nihil hîc à Deo ipso distinctum, nihil prius & posterius in ipso Deo concipiendum est. Cùm sicut perfectissima Lux divini Intellectûs uno, æterno & simplicissimo actu omnia penetravit; ita divina Voluntas sine molesta sibi invicem succedentium Consiliorû, Meditationû & Decretorum quasi particularium & ab se invicem dependentium successione omnia ordinavit. Ex quo iterum patet, *Decreta divina solummodò in ordine ad res creatas alia atque alia esse, Deo verò tantùm ἀντιστοιχῶσιν* tribui.

THES. VII.

IV. **N**ecessitas Existentiæ Voluntatis Determinantis in DEO patet, tum ex eminenti perfectione Intellectualis Naturæ in Deo, tum ex Productione, Conservatione & Gubernatione omnium rerum extra se, quæ absque Voluntate De-

72 C. V. De Deo Volente, Optimo, Amabili,  
terminante & Ordinante ne conci-  
pi quidem possunt.

THES. VIII.

V. **L**ibertas Voluntatis Determinantis  
in Deo quoque maxima est,  
quia à nullo dependens. Ast contra  
quarumlibet rerum extra se sta-  
tus, conditio, affectiones, conne-  
xiones certâ Voluntatis determi-  
natione ab æterno constituit Deus,  
ut sint vel non sint, ut tales vel  
aliæ sint, sic vel aliter cohæreant,  
prout ipsi tanquam Summo rerum  
Conditori & Domino collibuit.

THES. IX.

VI. **H**inc patet, quomodo *Voluntatis*  
*divinæ summa Perfectio* & *De-*  
*terminatio universalis Libertati Creatu-*  
*rarum Rationalium non præjudicet.* Nam  
quia ipse Deus Creaturas Rationa-  
les præmii & pœna capaces, adeo-  
que Liberas, producere voluit, hæc  
earum Libertas, quæ in ipso divino  
Ordine ab ipsomet constituto funda-  
tur,

tur, divinæ Voluntatis perfectioni repugnare non potest. Neque actu eidem repugnat, si attendamus, Deum per immensam Omniscientiæ suæ Lucem partem illam, quò rationales & liberæ creaturæ inclinaturæ essent, pervidisse ab æterno, atque illi parti convenienter uno, æterno & indivisibili actu Decreta sua ordinâsse. Cum ergo hæc *Scientia & Voluntas Conditionata* à nonnullis dicitur, magis Ordinem, quo nobis Scientiam & Voluntatem illam immensam repræsentamus, quàm ipsam divinæ Omniscientiæ infinitam Lucem, & cum hac individuo nexu conjunctam Voluntatis determinationem, respexisse videntur. Quibus ritè ponderatis simul omnia, quæ huic sententiæ, tanquam perfectioni divinæ minùs congruæ, opponi solent, concidunt.

THES. X.

VII. **E**X his itidem non difficulter colligi potest, *quomodo*  
E 5 *Mala*

74 C. V. De Deo Volente, Optimo, Amabili,  
Mala Deus proprie non velit, permit-  
tat tamen, seu non impediatur fieri à Cre-  
atura Rationali libero arbitrio suo in  
pejorem partem abutente. Deus e-  
nim, quia Optimus & Perfectissimus  
est, tantum Bona & Perfecta  
adeoque suæ naturæ convenientia  
vult, & in his verè sibi complacet.  
Quæ verò intercurrunt malæ &  
perverfæ volitiones & actiones Cre-  
aturarum Liberarum, has physicè  
quidem non impedit, dum semel il-  
las liberas & sui juris condidit,  
sed utitur his usque ad bonum &  
majorem sui gloriam, sicque ex  
ipso Malo Bonum eruit, atque istud  
Bonum ceu Finem Ultimam Vo-  
luntate demum Complacentiæ vult  
& intendit. Sicut in Lapsu Proto-  
plasterum, in Exaltatione Josephi,  
in Educatione Israëliitarum ex Ægy-  
pto &c. videre licet.

THES. XI.

VIII. **Q**Uæ verò in Sacris occur-  
runt locutiones, quæ pri-  
mo



mo obtutu duriores videntur, circa Voluntatem Dei ad Mala concurrentem, ut in Induratione Pharaonis &c. *Σεοπερω̄ς* inter pretabimur optimè, si attendamus: Hominem per Lapsum depravatum sibi que relictum usque in pejus ruiturum, sicque magis & magis se induraturum, si Deus illum extraordinario & novo suæ Gratia influxu ad Bonum non excitet, ad quod faciendum nullo modo obligatur, præsertim postquam primos Gratia divinæ impulsus præfractè spreverat libereque repudiaverat, ut à Pharaone factum: unde hîc aliquid Pœnale, & actûs Dei ut Summi Judicis interveniunt. Quanquam & frequenter, cùm de toto Ordine Decretorum & Voluntas divinæ sermo sit, liberæ illæ & perversæ Inclinationes Creaturarum, ut instrumenta divinæ Gloriæ in toto negotio magis exaltandæ intercurrunt tantum, Dei Gloria verò & Bonum plurimorum Deo pro Fine Volun-

76 C. V. De Deo Volente, Optimo, Amabili,  
Voluntatis sunt, quod in ipso Pha-  
raone Exod. IX. 16. ad oculum patet.

THES. XII.

**B**ona vult DEUS, non tantum Di-  
rigendo & Ordinando, sed &  
in his sanctè sibi Complacendo, tanquam  
in Actionibus sanctissimæ perfectissi-  
mæque Naturæ suæ congruis & si-  
milibus. Unde &, cum Homo per  
Lapsum habitualiter ad Malum Se  
& omnem posteritatem suam dispo-  
suisset, sicque ad Consortium Crea-  
toris sui Optimi accedere per Na-  
turam non posset, Deus potius Fili-  
um Suum morti tradere, & ita  
homines Gratiâ quadam Extra-  
ordinariâ & plane Novâ ad se re-  
ducere denuò voluit, quàm illos  
æternum perire & à se separari  
permitteret. Quam divinæ Volunta-  
tis Gratiôsæ variam Dispensationem  
Extraordinariam salutisque huma-  
næ totam Oeconomiam fusiùs Re-  
velatio insinuat.

THES. XIII.

**Q**Uam vulgò Theologi *Voluntatem*  
*Signi*

u  
Sign  
neple  
ad e  
dire  
tur  
ma  
inn  
sim  
suæ  
Etat  
cat  
fin  
ne  
tion  
fion  
mu  
mè  
la  
ma  
po  
qu  
ac  
lu  
cu  
fi  
ru

Signi contradistinctam *Voluntati Beneplaciti* vocant, forte commodius, ad evitandas lites, per *Voluntatem Indirectam & Directam* exprimeretur: ubi Indirecta nobis tantum mandando, vetando, minando &c. innotescit, cum Deus ob sapientissimas rationes ultimum *Voluntatis* suæ scopum & *Voluntatem Directam* sæpe numero nondum indicat, quæ nobis demum totâ re ad finem perductâ patescit: quâ ratione plurima S. S. Loca, ut *de Probatione fidei Aarabami, de Conversione Ninivitarum &c.* cum immutabili *Voluntate Divina* aptissimè conciliantur. Quanquam in illa Signi seu Indirectæ *Voluntatis* manifestatione usque aliquid Antropathicum observari debeat, in quo Deus se humanæ imbecillitati accommodat, in manifestanda *Voluntate* sua per varios gradus & circuitus, cum apud ipsum omnia jam fixa sint, dum omnium istarum rerum eventus jam ante habet cognitos

78 C. VI. De Deo Volente, Optimo, Amabili,  
gnitos, sicque de Fine Ultimo suæque  
Gloriæ convenienti abundè sit  
certus.

THES. XIV.

Sicut verò DEUS ratione Intel-  
lectûs & Scientiæ Omniscius est,  
ita ipse *ratione Voluntatis Optimus est,*  
*sive non nisi Bona, illâ Complacentiæ Vo-*  
*luntate, prosequitur:* dum non potest  
quidquam velle perfectissimæ na-  
turæ suæ dissimile.

THES. XV.

Est autem DEUS ita *Ens Opti-*  
*imum seu perfectissimè Bonum,* ut  
sit *Primum Bonum & Fons omnis Bo-*  
*ni* ratione Existentiæ & Operatio-  
nis, imò *ipsum Bonum.* Nec non *Sum-*  
*mm Bonum,* seu terminus omnis bo-  
næ inclinationis, præsertim Crea-  
turæ Intellectuali, bonum & ma-  
lum discernere aptæ. Item *Solum*  
*Bonum,* sine admistione imperfe-  
ctionis & Nihili quia infinitum &  
*perfectissimum Bonum,* cujus contrari-  
um in creaturis apparet, Denique &  
*sine*

u  
sine l  
tale.  
riat

E  
con  
quæ  
Leg  
tat  
Obl  
De  
hæ  
ma  
tra  
Bo  
sibi  
&  
à q  
pe  
lu  
tu  
gr

sine Fine Bonū sive Bonum immutabiliter tale. Unde nec Gradus, neque Variatio Bonitatis in Deo.

THES. XVI.

**E**X hac natura Dei Optimi ritē inspecta resolvitur itidem & conciliatur vexata quæstio. *Utrum quaedam sint suâ naturâ turpia, ante Legem à Deo latam vel ante Voluntatem divinam considerata. Nam Obligatio nostra quidem respicit Legem Dei, ut Autoris & Domini nostri, quia hæc tantum nobis enuntiatur atque manifestatur. At DEUS, qui extra se Legem non habet, à quo Bona & Mala ordinari potuerint, sibi ipsi Lex est per Sanctissimam & perfectissimam Naturam suam, à qua ad volendum optima quæque per se impellitur. Unde ultra Voluntatem Dei in Bonitate aut Turpitudine rerum determinanda progredi parum congruum videtur.*

OBS. I.

Ex his patet, *Hominem Rationalem*

80 C. VI. De Deo Volente, Optimo, Amabili,  
nalem circa Jus & Leges Naturæ cer-  
tissimè in Voluntate Dei Optimi & Per-  
fectissimi acquiescere, qui illas tam  
necessarias observatu judicaverit,  
ut principia & fundamenta hujus  
Juris, ipsi naturæ humanæ & ra-  
tionali in se verit.

OBS. II.

Quia autem ille DEUS Vo-  
lens & Optimus, tanquam Ens Pri-  
mum, Summum & Independens o-  
mnia agit propter Se & Gloriam su-  
am, ut Cap. II. vidimus, hinc *Deus non  
potest non velle amari & coli ab Intelli-  
genti & Rationali Creaturâ*, cui Sui  
Similitudinem, notitiam & tenden-  
tiam versus Se impressit. Hic *Cul-  
tus Dei Naturalis autem duo comple-  
ctitur*, sc. *Cognitionem & Amorem Dei*,  
illum Obedientiæ sc. de quo in *Pa-  
thol. Pract. P. II. C. X.* egimus. Ex  
his verò nostra Cognitionis de Deo  
pro termino habet Gloriam & Lau-  
dem Numinis tanquam summè Ad-  
mirabilis, *Amor Dei* verò pro termino  
habet

*ubi de Legibus Nature & Cultu divino.* 81

habet *Subordinationem Totalem & Voluntariam* Creaturæ Rationalis sub Deo ejusque Voluntate per Rationem aut Revelationem insinuata.

OBS. III.

Porro notandum ex dictis de Deo Volente, Optimo, Amabili varia alia Observata Practica promanare, quæ in Directione Vitæ apprimè necessaria sunt.

I. *Rationali Homini ubique secundum Voluntatem divinam*, tum per Rationem, tum per Revelationem manifestatam, *agendum esse*. Quia Deus, tanquam Ens Optimum, non potest nisi perfectissima velle, & nos ipsi tanquam Enti Primo, Summo, Conditori & Conservatori nostro obligati sumus, ad agendum quod ipse vult. Cui apud Christianos novum Vinculum ex Redemtionem nostri per Filium accedit.

OBS. IV.

Ex Bonitate Dei Absoluta patet

F

tet

82 C. VI. De Deo Volente, Optimo, Amabili,  
tet quoque, inanem quaestionem  
esse: An Deus possit fallere homi-  
nem, si velit. Nam tale quid De-  
us velle non potest, quia Opti-  
mus & Perfectissimus est, cui i-  
psa Voluntas Fallendi contradicit.

OBS. V.

In nulla re complacere nobis  
debemus, nisi in Bono, tanquam  
in quo aliquid Voluntati divinæ si-  
mile inest, à quo sicut totum Esse  
& Bene Esse nostrum habemus, ita  
Ejus Voluntati unice nos subordi-  
nare tenemur. Ex quo patet, Sum-  
mum Malitiæ Gradum esse, com-  
placere sibi in Malis Deoque & re-  
ctæ Rationi contrariis. DEUS e-  
nim solus, tanquam Autor rerum,  
hoc habet privilegium, ut omnia  
possit agere propter Se, sive ad  
suam Gloriam: Homo verò, tan-  
quam Creatura Rationalis rerum  
conditionem & dependentiam suam  
cognoscere apta, omnia propter De-  
um, & juxta ejus Voluntatem, atque  
ad

ub  
ad i  
debe

randa  
qui  
Et  
conc  
tur.

tara  
magi  
dim  
res  
den  
xim

senf  
quo  
atq  
nob  
Bon



*ubi de Legibus Natura & Cultu divino.* 83  
ad illius Gloriam velle & agere  
debet.

OBS. VI.

*Naturæ Legibus usque obtempe-  
randum est, quia Deus illas voluit,*  
qui non potest nisi Optima, Perfe-  
cta & sibi simillima velle, quoad  
conditio Creaturæ cujusque pati-  
tur.

OBS. VII.

*Quia Dei Voluntas in Bono na-  
turalis & immutabilis est, hinc quò  
magis & habitualiter Boni evadi-  
dimus in hac Vita, tantò nos similio-  
res Deo fimus, quò usque conten-  
dendum, tanquam ad Statum ma-  
ximè Perfectum.*

OBS. VIII.

*Quia Deus Solum Bonum omni  
sensu tale est, hinc omne illud,  
quod re verà Deo contrarium est,  
atque interim specie quadam Boni  
nobis abblanditur, tantum Apparens  
Bonum esse intelligitur.* OBS.

OBS. IX.

*Qui Opes, Honores, Voluptates*  
& alia quæcunque, ut Prima &  
Summa Vitæ suæ Bona appetunt,  
hoc ipso *Idololatriam* admittunt:  
dum Dei Optimi & Boni Primi ac  
Summi locò aliud quid collocant.

OBS. X.

*Deo non obmurmurandum, vel*  
ob nostræ conditionis tenuitatem,  
vel ob mala nobis immissa, vel ob  
Malorum Hominum felicitatem in  
hac vita, aut alia quævis: quia Fi-  
nes Voluntatis Dei universos igno-  
ramus, & contrà scimus, Deum  
non nisi Optima velle posse, in  
cujus Voluntate unicè acquiescen-  
dum nobis est. Hinc Patientia  
Piorum, Lætitia Martyrum &c  
derivanda.

OBS. XI.

*Deo Optimo nostri Errores &*  
*Peccata non tribuenda, quibus ipsum*  
Libe.

Liberum Arbitrium nostrum ad perversa se inclinans sufficit; sed divina *Permissio Peccatorum* propter sanctas & Deo gloriosas rationes, nec non *Directio peccatorum* ad Fines Deo convenientes, cum ipso Studio efficiendi Peccata confundi non debent.

OBS. XII.

*Mali, ut Mali & Dei Voluntati contraria agentes, tantum odio habendi; ipsorum personæ tamen, ut Creaturæ Rationales, ejusdem nobiscum Sanguinis & Originis, amandæ sunt.*

OBS. XIII.

*Subordinatio Sui Totalis sub Deo & divina Voluntate ipsissimam illam in S. S. commendatam Abnegationem Sui, & Amorem Dei ex toto Corde nobis representat, ipsumque Offi- & Obligationem naturalem Rationalis Creaturæ erga Creatorem, Ens Primum, Summum & Optimum complectitur & exprimit. Confer Pathol. Nostram Pract. P. II. C. X.*

## CAP. VII.

*De DEO Uno &  
Unico, ubi de Trinitate ex Ra-  
tione non demon-  
strabili.*

## THES. I.

**P**ostquam hætenus Deum Spiri-  
tualiter Viventem, Intelligen-  
doque & Volendo actuosum vidi-  
mus, restat nunc, ut eundem *DE-*  
*um non nisi Unum & Unicum* esse pos-  
se demonstramus.

## THES. II.

**E**st autem DEUS non tantum exi-  
stentiã *Unus*, ut Sol, Luna &c.  
species monadicæ, sed & *natura sua*  
*Unicus*, ut ipsi essentiæ & naturæ di-  
*vinæ repugnet, plures; dari Deos.*

THES.

THES. III.

**U**Num verò & Unicum tantum  
*DEUM esse ostenditur. (I) Ex*  
*Natura Dei summè atque infinite*  
*Perfecta, cap. I. probata. At con-*  
*tradictionem implicat, duo vel plu-*  
*ra Entia Perfectissima dari; cum*  
*rò infinite Perfectum omnem pos-*  
*ibilem perfectionem comprehendat*  
*includatque.*

THES. IV.

**II.** **Q**uia DEum non aliter, quàm  
*Ens absolute Primum &*  
*Summum concipere possumus. Sed*  
*repugnat, Duo vel plura Prima & Sum-*  
*ma Entia dari; id quod ex ipsa ter-*  
*minorum horum significatione at-*  
*tendenti patere facillimè potest.*

THES. V.

**III.** **Q**uia *Ens absolute Independens,*  
*(qualem DEum esse de-*  
*monstravimus. suprà Cap. III.) &*  
*à quo vicissim omnia quæ sunt. depen-*  
*dent.*

*dent, non nisi Unicum esse potest.* Nam si plura supponantur, vel illorum nonnulla ab Uno isto dependerent, & sic non Entia Independentia, adeoque nec Dei forent. Si non dependerent ab Eodem, neque ab se invicem, nullum horum Deus foret, quia omnia in natura rerum ab se dependentia nemo haberet: quæ dependentia omnium ab Uno, Perfectissimo & Summo Ente in conceptu Dei involvitur.

## THES. VI.

**A**rgumenta verò pro Unitate divina ex natura Dei, ut Entis Necessarii, nec non ex Harmonia Mundi & Consensu gentium petita, demonstratu difficiliora sunt, & vix ultra probabilitatem assurgunt, ob circumstantiarum in his vindicandis excutiendarum varietatem. Unde præstat prioribus illis *argumentis*, quippe ex ipsa Natura Divina petitis & maximè apodicticis, strictè inharere.

TH.

THES. VII.

**U**Nitas Dei etiam gentilibus prudentioribus cognita fuit. A reliquis Unus Naturalis & Summus, plures populares & subordinati DEI ferè culti. Hic verò Error, sicut & crassior Polytheismus apud vulgus & gentes barbaras, ex non rectè inquisita Natura Dei profluxit, quam divinum iudicium & derelictio eorundem consecuta sunt. Unde à Numine deserti usque in graviores & naturæ rationali magis adversos Errores prolapsi sunt.

THES. VIII.

**I**nterim Revelatio nobis insinuat, hanc Unitatem Dei ad Essentiam ejus restrictam esse, atque eundem DEum Essentiâ unum, in Personis Trinum esse. Quod Mysterium Mysteriornm, qui ex Ratione eruere aut Similitudinibus declarare nituntur, frustra esse videntur; cum nec ratio sola de Personarum Tri-

F 5

nitare

90    *Cap. VII. De Deo Uno & Unico,*  
nitate quicquam vel suspicata esset  
unquam, nisi Revelatio interve-  
nisset, & quæcunque hîc ut simi-  
lia ex aliis rebus naturalibus affe-  
runtur, in his maxima usque dis-  
similitudo facilè animadvertatur.  
Quæ verò *ex gentiliis, Platonis*  
*præsertim & Platoniorum, scriptis*  
*pro hac causa afferuntur, vel ad*  
*hanc sententiam violenter detor-*  
*quentur, vel ex Hebræorum tra-*  
*ditionibus hausta, ab ipsis illis au-*  
*toribus non satis intellecta, atque*  
*in alienum à Revelatione sensum*  
*conversa esse apparet.*

OBS. I.

Quia *Deus Unus* idemque *Sum-*  
*mus & Primus*, ac *Autor Nostri &*  
*rerum omnium est, etiam Motus*  
*& Inclinatio Nostra Moralis & Li-*  
*bera versus DEum usque Summa, U-*  
*na & sibi semper similis esse debet,*  
*qualis Unico Enti Primo Autori*  
*Nostro congruit.*

OBS.



OBS. II.

Per illam *Unicam, Primam, Habitualem*, perpetuam & sibi semper similem *Inclinationem Mentis versus DEum*, qui & Amoris ex toto Corde nomine venit, *Boni à Malis, Pii ab Impiis, certissime*, tanquam per *Notam Characteristicam, distinguuntur.*

OBS. III.

Sicut *Dii alieni non habendi, quia Deus naturâ Unus tantum esse potest; ita nec Inclinatione nostra, Primaria certè & Universalis, alia quàm Una esse debet, in Unicum Deum directa. Qui- cunque verò hunc Naturæ Ordinem mutat, Idololatra est & Numini abominabilis.*

OBS. IV.

*Quemadmodum Omnia quæ sunt ab Uno sc. à Deo sunt, ita Omnia tantum in ordine ad hoc Unum & Summum rerum omnium principium Deum sc. Amanda & Desideranda sunt.*

¶

92 *Cap. VIII. De Simplicitate Dei*  
siquidem Amor noster justus, rationalis & naturæ proportionatus esse debet: ut sicut Omnia sunt ab Uno, sic vicissim Omnia tendant ad Unum, DEum scilicet.

CAP. VIII.

*De Simplicitate DEI,*  
*ubi de Simplicitate*  
*Morali.*

THES. I.

**C**um Unitate Naturæ Divinæ absolute tali immediate copulata est ejusdem *Simplicitas*, eaque vel positive vel negative accipitur. *Simplicitas Dei positive accepta*, notat Perfectionum omnium divinarum Unitatem sive Identitatem, tam inter se, quam cum Essentia Divina. Eadem *Negative accepta*, à Deo Compositionem Realem, cujuscunque generis removet.

TH.

THES. II.

**T**Alem autem *Simplicitatem Positivam*, sive Identitatem omnium Perfectionum cum Essentia divina, Deo competere, *evincit Summa Perfectio Divina*, quæ non patitur ut in ipso sit ἴδιον καὶ ἄλλο, aliud & aliud, sed ut Augustinus loquitur: *Deus quicquid habet, hoc est.* Unde & *Attributa divina cum Essentia ejus, imò & Attributa ipsa inter se à parte rei identificantur, atque tantum ob finitudinem naturæ nostræ & varietatem effectuum aliter atque aliter à nobis concipiuntur: cum interim ipsa perfectissima Natura Divina, tanquam actus purus, infinitus & independens, non possit non ista æternum ac simplicissimè unita possidere.*

THES. III.

**S***implicitatem verò Negativam, sive remotionem omnis compositionis realis Deo convenire facile ostendit.*

stendit quæ in Compositione cujuscun-  
que generis inest imperfectio: dum u-  
na pars alia non est, adeoque pars  
nulla infinita, aut perfectiones o-  
mnes complexa. Deum verò infini-  
tum & perfectissimum ex finitis &  
sigillatim imperfectis essentiæ por-  
tionibus constare absurdum, cum  
Perfectio absoluta & Infinitas Dei  
possessionem omnis perfectionis nus-  
quam interruptam aut divisam in-  
volvât.

## THES. IV.

DE variis modis Compositionis  
Scholasticæ Deo non attribu-  
endis conferri potest *Heerbord in Pneu-  
matica, Meletemat. ipsius adjuncta L. II.  
cap. IV.* de quibus generatim tenen-  
dum est: Modos universos, qui rea-  
lem & actualem compositionem in  
ipso Deo involvunt, à Deo propter  
ipsius infinitatem & summam per-  
fectionem alienos esse.

## THES. V.

Quam verò huc trahunt *Compo-  
sitiõ*

nem ex Genere & Differentia in Definitione Logica Dei, tanquam Entis Perfectissimi, illa minus quadrat: quia non compositio, sed modus concipiendi est, neque in ipsa re & essentia divina compositionem indicat, cum unicuique facile pateat, hoc ipso Entitatem, sive Essentiam & Existentiam divinam & Perfectionem Summam, non ut partes ex quibus Deus componitur spectari, sed tantum de nostro modo concipiendi Deum sermonem esse, eadem ratione ac in diversis attributis divinis per *αὐτῶν πᾶσι θεῶν* separatim cogitatis, distinctioris cognitionis ergo.

THES. VI.

**N**equae Decretorum Divinorum pluralitas divinæ Simplicitati obstat, quia Actus Voluntatis Decernentis unus, æternus ac simplicissimus est, licet à multiplici Objecti varietate alias aliasque denominationes accipiat, finitæque  
crea.

creaturæ intellectuali alii aliique gradus & ordo sibi invicem succedendi appareant, cui se & ipsum Numen in ἀνθρώπων αἰσῶς repræsentandis hisce Deretis accommodavit.

THES. VII.

**Q**uin nec ipsum *Trinitatis* *Mysterium* huic *Simplicitati* derogari censendum est, cùm & Personæ inter se & ab Essentia divina inseparabiles sint, atque unam eandemque Essentiam divinam simplicissimam constituent. Quod tamen in hoc *Trinitatis* mysterio modum omnem & nexum illius cum *Simplicitate* divina absolutè tali conciliare non valemus, mirandum non est; cùm ipsa hujus mysterii intima conditio nos lateat, quia *mysterium* est. Interim nobis sufficiat, nos quâ Philosophos scire, DEum esse Unum & Simplicissimum, quia sic exigit divina perfectio, nosque quâ Christianos credere, Deum esse in Personis trinum, quia id exertim testat.

stat  
con  
gen  
ma  
re  
XI.

pat  
Ni  
qui  
uni  
fe  
ma  
por

sem  
but  
rar  
fe  
qua  
con  
Bon  
dic  
nat

statuatur Verbum Dei. Si quæ in istis conciliandis occurrit difficultas; ingenii tenuitas non alterutrius dogmatis falsitas inde evincitur. Ut recte monet *de Vries de Deo. Exerc. XI. S. 3.*

OBS. I.

Ex adductis de Simplicitate Dei patet Veritas vulgati Axiomatis: *Nihil esse in Deo, quod non sit ipse Deus,* quia omnia indivisim in ipso Deo unita sunt & cum Natura ejus Perfectissima identificantur. Ex quo manifestissimè liquet, Deum Corporeæ naturæ esse non posse.

OBS. II.

*DEUM* usque *Immutabilem* & *semper Eundem, esse, neque Attributa divina intendi, remitti aut alterari posse;* sed illam primam perfectissimamque Naturam semper æquabilem, semperque eodem modo comparatam esse. Unde *Deus ipsa Bonitas, Caritas, Justitia &c.* rectè dicitur, ob summam Simplicitatem naturæ, cui nihil contrarii admistum.

G

OBS.

## OBS. III.

*Nullum Attributum Divinum Deo magis aut minus convenire, neque ullam inter illa contrarietatem esse: quia omnia in Simplicissima Perfectione divina semper eadem & uniformi conspirant; licet modus, quo convenient, nobis non semper sit perspectus, ob finitæ naturæ nostræ imbecillitatem. Quod in Misericordiæ & Justitiæ, Necessitatis Essentiæ & Libertatis Decretorum, Unitatis & Trinitatis conciliatione observatu necessarium est.*

## OBS. IV.

*Nullum Ens, nisi Deus, absolutè purum & Simplex est, quippe qui solus complexum omnium perfectionum in ipsa Essentia sua involvit. Ex quo patet, omnes Creaturas aliquid non Entis admixtum habere, indeque ipsarum perfectiones ut remitti & deficere, ita intendi & perfici posse. Quod*



Quod in Angelis in Bono confirmatis, nec non in variis Statibus Hominis videre licet.

OBS. V.

*Creatura Intellectualis Deo Simpli-*  
*cissimo per Naturam suam Intelle-*  
*ctualem proxima & simillima, etiam*  
*inclinatione & Voluntate eidem si-*  
*millima evadit; tantò magis, quò*  
*simplicius non nisi Bona & divinæ*  
*Voluntati Subordinata vult cupit-*  
*que. Sic enim in Centro Simpli-*  
*cissimo ac semper Eodem, Deo sc.*  
*omnes ejus Inclinationes Actiones-*  
*que conspirant. Unde Tranquilli-*  
*tas Conscientiæ in Bonis, & Tranquillitas*  
*Vitæ Civilis à Bonis, in eodẽ Centro Deo*  
*& ejus Amore unitis, atq; Inclinatione*  
*quadam Universali conspiranti-*  
*bus; cùm é contra Mali singuli se*  
*ipsos Centra Particularia suarum actio-*  
*num constituent: unde dissidia & per-*  
*turbationes Reip. & Vitæ privatæ.*

G 2

OBS.

## OBS. VI.

*Veritas & Bonitas*, atque ita Vir-  
tutes Intellectuales & Morales, sunt  
aliquid *ad Simplicitatem Divinam pro-*  
*xime accedens*, quoad per Naturam Fi-  
nitam licet; at e contra *Error &*  
*Mendacium*, nec non *Malitia & Viti-*  
*um aliquid multiplex, varium & discors*  
continent. Unde Illa tanquam Deo  
Similia prosequenda, hæc tanquam  
Deo Adversa fugienda esse constat;  
ceu Simplicitati Dei, cujus imago  
per intellectualem Naturam esse  
debeamus, contraria. Ex quo  
fundamento & plurium aliarum Ve-  
ritatum principia in Moralibus de-  
pendent.

## OBS. VII.

Cum Simplicitate Sinceritas a-  
pud homines conspirat; unde quò  
quis Simplicior & Sincerior est, eò  
magis ad divinæ naturæ, in ipsa  
Simplicitate perfectissimæ, simili-  
tudinem accedit: unde Mendacii  
prævitæ & recessus à Similitudine  
Numinis magis etiã patescit. CAP.



## CAP. IX.

*De DEO Infinito, Im-  
menso, Aeterno & Incom-  
prehensibili.*

## THESIS. I.

**I**nfinitas Dei, *Perfectionis Immensi-  
tatem* in Deo designat, atque ita  
cum *Perfectione Summa* Capite III.  
delineata eadem est; termino tan-  
tū diversa.

## THES. II.

**H**inc *Infinitas DEI*, sicut *Perfectio  
Summa, per omnia Divina Attri-  
buta sparsa est ac diffusa.* Itaque *Po-  
tentia, Scientia, Bonitas, Sanctitas,  
Justitia, Misericordia Dei*, sicut per-  
fectissima, ita infinita sunt, neque  
ullis terminis aut limitibus circum-  
scribuntur; quia *Primi & Summi  
Entis attributa sunt*, qui assumere  
sibi ipsi omnem possibilem perfe-  
ctio.

tionem potuit, & quod habere potuit, actu tenet & possidet, tanquam Ens Primum, Summum, Perfectissimum æquè ac Sapientissimum.

THES. III.

**P**ORRÒ *Immensus Deus est, quatenus Immensitatis termino positivè repræsentatur Magnitudo Dei infinita, per quam ille omnibus rebus à se creatis intimè præsens est, per Essentiam pariter ac Virtutem seu Operationem; imò & ultra res existentes, non in Spatiis quidem Imaginariis, quæ imperceptibile quid sunt, sed in Se ipso.*

THES. IV.

**N**EGATIVÈ verò *per Immensitatem, removetur à Deo omnis Mensura & circumscriptio à quocunque loco & Spatio; ita ut Deus nusquam inclusus, nusquam exclusus sit: quomodo non malè Trismegistus Deum Circulo comparat, cujus Centrum ubique sit, Peripheria nusquam.*

THES.

THES. V.

**N***Equè tamen hæc Immensitas Divi-  
na concipi debet per modum Ex-  
tensionis & diffusionis corporeæ, aut  
instar subtilissimi corporis omnia  
pervadentis, quale quid sub Spiri-  
tu mundi Athei velant; cùm o-  
mnis corporea natura qualicunque  
subtilitate prædita ob imperfectio-  
nem ipsi admistam à Numine alie-  
na sit, ut superius vidimus.*

THES. VI.

**I***tidem Aeternus DEUS est omni  
sensu, quæ Aeternitas Boethio di-  
cta fuit non malè: interminabilis  
Vita tota simul & perfecta possessio.*

THES. VII.

**P***ositivè autem designat Aeternitas  
perfectissimam rationem durandi,  
sive continuandi esse suum, quæ  
fundatur in Perfectione Summa, In-  
finitate atque Immutabilitate Dei.*

THES. VIII.

**N***egativè verò Æternitas removet à Deo omne existendi Initium, Successionem & Finem seu terminos, verbo omne Tempus & Mutabilitatem, quæ temporì adjuncta est.*

THES. IX.

**N***ec obstat, Creaturas, quæ Deo coexistunt, variis temporum vicissitudinibus subjectas esse. Cùm non repugnet coexistere sibi duas res disparis naturæ, quarum una alio modo se habeat ac altera, id quod in Deo & Creaturis evenit.*

THES. X.

**I***nfinitus ille, Immensus & Æternus DEUS, vel hoc ipso quia talis est, Incomprehensibilis quoq; esse cognoscitur. Et quidem à Sensu & Imaginatione humana planè ne apprehenditur quidem, neque Objectum ejus esse potest, quia mens & spiritus est, qui ut sub nullum sensum, ita nec sub*

*Imenso, Aeterno & Incomprehensibili. 105*  
sub Imaginationem, ut Sensum Re-  
petitum, cadere aptus est, quod  
multò magis in Deo Spiritu Infinito  
& Immenso locum habet.

THES. XI.

**E**T licet ab Intellectu Humano apprehendi Deus possit, in quantum Infinitum illud & Immensum Numen Creaturae suae Intellectuali, aptae se apprehendere, vel per Rationem vel per Revelationem se manifestare ex parte voluit, tamen comprehendi planè Infinitum à Finito contradictoriū est: id quod in singulorum Attributorum Divinorum collatione liquiddò apparet.

THES. XII.

**U**Nde &, quando Cartesiani *claram & distinctam Ideam Dei* se habere praedicant, quam alii *insitam & innatam* vocant, per hanc nō nisi *Idea Generalior de Existentia & Attributis Dei*, non verò *Specialis & Comprehensiva singulorum Attributorum in*  
G 5 ipso

106 Cap. IX. De Deo Summo, Infinito,  
ipso modo & tota conditione sua in-  
nuitur, quam à nobis non haberi Ex-  
perientia facile demonstrat.

OBS. I.

*Licet Deus Infinitus à finita crea-  
tura nunquam plenè percipi possit, a-  
deòque in Essentia & Attributis  
divinis usque aliquid Incomprehen-  
sibile remaneat, tamen obin  
illud negandum non est: licet  
ob imperfectionem rationis nostræ  
ad illa intima Divinitatis penetrari  
à nobis nequeat.*

OBS. II.

*Hoc ipsum 7ò Incomprehensibile in Di-  
vinis, Admirabilitatis divinæ occasio est:  
dum quia nunquam divinas Virtu-  
tes & Perfectiones plenè cognosci-  
mus, usque aliquid Admirabile &  
Venerabile in iisdem remanet.*

OBS. III.

*Quò magis verò Natura & Attribute  
Dei nobis innotescunt, eò magis Admi-  
rabilis*

Ine  
rabi  
men  
rim  
amp  
Vita  
nera  
tum  
tum  
Quo  
Ope  
cum  
& I  
tem  
Fim  
perf  
pro  
Der  
Deo  
bru  
der



*Imenso, Aeterno & Incomprehensibili, 107*  
*rabilis Deus à nobis cognoscitur, ob im-*  
*mensam Infinitatem Dei: unde plu-*  
*rimis licet cognitis, usque tamen*  
*ampliora restant. Hinc in altera*  
*Vita magis etiam Admirandus & Ve-*  
*nerandus Deus videbitur, quò Illum*  
*tum intimius cognoscemus, quan-*  
*tum per naturæ finitudinem licebit.*  
*Quod ipsum & in Attributorum &*  
*Operum divinorum cognitione lo-*  
*cum habet in statu præsentis.*

OBS. IV.

*Sicut Deus solus Infinitus*  
*& Immensus est, propter Infinita-*  
*tém Perfectionis; ita Creatura omnis*  
*Finita est, propter finitam & limitatam*  
*perfectionem ipsi ab Ente Infinito,*  
*pro illius beneplacito, attributam.*

OBS. V.

*Homo ipse, Imago Dei, non*  
*Deus, naturæ quidem similitudine*  
*Deo prior est, quàm Creaturæ*  
*brutæ; à finitudine tamen se exclu-*  
*dere non potest, quia Creatura, quod*  
*ipsum*

ipsum & limitata & finita conditio omnium ejus perfectionum demonstrat.

## OBS. VI.

*Æternitas Mentium à parte post, sive infinita earundem duratio & Immortalitas, partim in natura Mentium, tanquam Imaginum Dei semper Vivi, & nihil corruptibile in intellectuali natura sua continentium fundatur; partim in Voluntate Dei rationaliter præsumta, qui Rationalia Laudis suæ Instrumenta, quibus nulla corruptionis principia indidit, perpetuò conservaturus videtur. Quod ipsum Revelatio plenius & clariùs manifestat, sc. Animas Mentium ad Imaginem Dei Renovatas cum Deo æternùm futuras, Malorum & Deo Rebellium Animas cum Rebellium Spirituum Principe, cujus Imaginem gestârunt, futuras esse in illo Statu, quem Rebellis Creatura à Justissimi & Sanctissimi Majorum Vindictis Dei sc. manu expectare potest.*

CAP.



## CAP. X.

*De Deo Omnipoten-  
te, Creante, Conservante,  
Gubernante: ubi de Ope-  
ribus Dei.*

## THESIS I.

**I**nfinitem Divinæ Perfectionis nobis creaturis suis vel maximè ostendit *Omnipotentia Divina*. Quæ considerari potest vel *in Actu primo*, quomodo *exprimit ipsam Omni-Sufficienciam Dei*, quâ Deus non sibi tantum suæque Beatitudini æternum continuandæ sufficit; sed & extra se ponendis dirigendisque Creaturis aliis, quascunque ipsi producere lubitum fuerit: atque ita Potens est Deus agere quæ vult in cœlis & in terra.

## THES. II.

**E**Adem *Omnipotentia in Actu secundo considerata*, non est nisi *Voluntas Dei*

*Dei Efficax vel Operans*, seu actu Determinans, quas res, quo modo, numero, gradu existere, & quibus in circumstantiis ac quamdiu eas superesse velit.

THES. III.

**O***bjectum Omnipotentiae Divinae est omne Possibile*, sive quod contradictorium non est, aut non repugnat existere. Hæc enim posse Imperfectio foret, quia se mutuo tollunt. Quanquam, utrum aliquid tale sit, nec ne, summa cum cautione disceptandum sit, cum noster intellectus finitus non sit mensura Potentiae Divinae infinitae; nisi ipse Deus in naturis rerum tales notas impresserit, ex quibus certò colligi possit, contrarium ejus esse contradictorium.

THES. IV.

**E***st autem Omnipotentia Divina* relate ad Nos considerata vel *Ordinaria*, quâ Deus agit secundum *Ordinem*

dine  
vel  
præ  
git,  
Vol  
nes

E  
non  
ipsa  
conf  
Efi  
ext  
A  
riso

I  
DE  
m  
tis  
ras  
&c

ordinem Naturæ semel institutum, vel Extraordinaria & Absoluta, quâ præter & supra illum Ordinem agit, quæcunque ejus perfectissimæ Voluntati ob specialissimas rationes collubuerit, ut in Miraculis.

THES. V.

**E**X his patet, *Creationem* tum Immediateam tum Mediatam, nec non *Conservationem Dei* non esse nisi ipsam *Omnipotentiam Dei in actu secundo consideratam*, sive *Voluntatem DEI Efficacem Ordinariam*, quæ dum extra se res actu ponit aut servat *Actionis Transeuntis nomine* à plerisque insignita fuit.

THES. VI.

**I**psum verò *Dei Possesse & Velle Creare & Conservare res extra se* quidem in *DEO* luculentissimum *divinæ Omnisufficientiæ & exundantis Bonitatis Testimonium actuale est*. *Creaturas verò non posse non creatas esse, & etiamnum à Summo quodam & Potentem.*

tentissimo Ente conservari, universa earundem conditio, ortus, interitus, mutationes clarissime demonstrant.

THES. VII.

**P**ER Gubernationem Deus omnem Creaturarum activitatem dirigit ad Fines sibi gloriosos. Sic ut ad illud Primum & Summum Ens, quod omnia fecit propter Se, tandem omnia per hanc Dei Gubernationem & Providentiam revertantur. In quo Summa Dei Sapientia & Beatitudo infinita conspicua evadunt.

OBS. I.

*DEus, quia Omnipotens, Timendus omnium maximè est. Idem, quia Creator & Conservator nostri, à quo & per quem sumus, quicquid sumus, Amandus intimè. Quia Gubernator & Director noster & omnium hominum & rerum Summus est, Honorandus summissè est. Ex quibus tribus Timore, Amore & Honore inter se junctis*

junctis illa Veneratio Deo digna componitur: qui Nexus proinde divelli à nobis non debet, neque Deus in hac Vita timendus sine amore, neque amandus sine timore, neque honorandus sine timoris & amoris copula.

OBS. II.

*Timor Dei sine Amore servile quid est; Amor Dei sine Timore ultra Statûs præternaturalis conditionem se extendit, Amor & Timor Dei verò sine Honore & Veneratione Majestati divinæ derogat, Honor verò Externus & Timor sine Amore Intimo & Summo Spirituali Dei Naturæ & Misericordiæ Divinæ erga genus humanum in statu præsentis adversus est.*

OBS. III.

*Quæ porro de Creaturarum & speciatim Hominis conditione hîc observari mererentur, jam repræsentavimus superius in Observatis ad Cap. III. & IV.*

H

CAP.

## CAP. XI.

*De Deo Sanctissimo,  
Justissimo, Misericorde, Vera-  
cissimo: ubi de Virtutibus  
Nostris.*

## THES. I.

**V***irtutes in nobis Qualitates ac-  
cessoriae sunt, atque jam gra-  
du intensiores jam remissiores ex-  
sistunt, in Deo cum ipsa ejus perfe-  
ctissima Voluntate arctissimè copu-  
lantur & conspirant, suntque pro-  
inde nihil aliud, quàm Voluntas Dei  
Perfectissima, Optima & semper Eadem,  
cum Relatione ad variam conditionem  
& effectus in Creaturis considerata,  
atque ab hac diversimodè denominata.  
Cui consimile quid in Passionibus Deo  
tributis evenit.*

THES.



THES. II.

**I**Nter Virtutes Divinas eminent *Sanctitas Dei*, quæ est *complexus Virtutum omnium*, sive *constans Voluntas Dei*, quâ *perfectissimæ Naturæ suæ usque convenienter* & *Ipse agit*, atque *Creaturas racionales*, sibi per *Naturam Intellectualem* similes, suæ *Voluntati per Rationem & Revelationem manifestatæ convenienter agere vult*: cum qua *Sanctitate divina Justitia Ejus Legislatoria* conspirat.

THES. III.

**Q**Uod si *Creatura Rationalis* huic *Sanctitati & Justitiæ divinæ Legislatoriæ* se *subducit liberè*, *Voluntati* quæ *divinæ contravenit*, dum *recedit ab Ordine Naturæ & Justitiæ Divinæ Legislatoriæ*, atque ita *Dei Voluntati contrariatur*, quod *omnis peccans facit*, *incidit in Ordinem Justitiæ divinæ Vindicativæ*; quæ nihil aliud est, quàm *constans Voluntas*, sicut *Bonis Bona & Felicitatem tribuendi*,

endi, ita Malum Passionis tribu-  
endi Creaturæ Rationali Rebelli,  
quæ Malo Actionis, sive peccato, Dei  
Legislatoris sui Sanctitatem & Maje-  
statem liberè læserat: quod Malum  
non potest non Summum haberi, quia  
Summi Numinis Sanctitas & Maje-  
stas per peccatum læsa fuerunt.

THES. IV.

**Q**Uæ verò in sacris celebratur  
*Misericordia Dei*, etiam Ethni-  
cis non ignorata, *fundatur præcipuè*  
*in Amore Dei erga Hominem, Imagi-*  
*nem sui vivam*: unde misero Homi-  
ni (quantum per Justitiam & San-  
ctitatem licet) succurrere deside-  
rat. In quo à *Justitia sibi Naturali*  
*non impeditur*: dum Homo, qui per  
Alienam Seductionem peccaverat,  
per Redemtionem Alterius poterat  
restitui, quod contrà se habebat in  
Angelis Lapsis.

THES. V.

**H**inc illud insige *Temperamentum Ju-*  
*stitiæ & Misericordiæ divinæ in Opere*  
Re-

Redemptionis conspicuum se pandit, ita ut neutri Virtuti divinæ quidquam decedat. *Quanquam & Gloria divina*, quâ ad Se Laudemque suam Deus omnia refert, hîc *veniat in partes*, quæ in Redemptionis Opere, ex hoc ipso Temperamento Justitiæ & Misericordiæ ad Se redundante, vel maximè manifestatur & Inclarescit.

THES. VI.

**Q**UOD verò apud *Jacobum Jac. II. 13.* dicitur, *Misericordiam triumphare vel gloriari contra Judicium*, ad Pios Misericordiam erga alios exercentes pertinet, qui ut ab illo Summo Mundi Judice pariter cum Misericordia, quam erga alios adhibuerunt, judicentur, Justitiæ divinæ non adversatur; dum contra Judicium sine Misericordia erga non Misericordes exercebitur, ut utrobique sit Justa Proportio.

## THES. VII.

*V*eracitas item Dei facile patet, si attendamus, Deum nec falli posse, quia Omniscius & Sapientissimus atq; Creator omnium rerum ac connexionum est, nec fallere quamquam velle, quia Optimus & sibi semper similis, adeoque perfectissimus est.

## OBS. I.

*Q*uod quis magis Virtuosus est, seu constantius propositum habet agendi quod Deus vult, illudque servat usque sincerius, eo perfectior & Deo similior quisque habendus est.

## OBS. II.

*N*emo verè Sanctus, Bonus & Numini Similis habendus est, nisi in quo Virtutum omnium complexus reperitur. Unde convenienter rationi Stoici dicebant: qui unam habet omnes habet Virtutes.

OBS.

OBS. III.

*Virtutes Dei, ut Justitia, Sanctitas, Misericordia Veracitas &c. nobis Rationalibus Creaturis suis ad similiter agendū Norma esse debent, quia ad Similitudinē Numinis ut in Natura ita in Operationibus factæ Deo similes Creaturæ, Imagines Dei, sumus: quod magis etiam apud Christianos obtinet, ob statum Renovationis & speratæ Reunionis cum Deo, ad quem nos per Redemptionem destinatos esse novimus.*

OBS. IV.

*Ut Virtutum omnium Divinarum, ita & Justitiæ ac Misericordiæ Divinæ summa usque proportio est, cum objectorum conditione justissimè & sanctissimè conspirans*

OBS. V.

*Misericordia erga Alios, pariter Imaginis divinæ prærogativâ conspicu-*

spicuos, *exercenda est*, ne ex justa Le-  
ge Talionis divinæ in iudicium si-  
ne Misericordia & ipsi incidamus.

CAP. XII.

*De Deo Omnisuffici-  
ente, Beatissimo: ubi de Uni-  
one Mentis cum Deo & Ac-  
quiescentia in Eodem, nec non  
de Æterna Salute  
Bonorum.*

THESIS. I.

**O***Mnisufficiens Deus est, propter In-  
finitatem suam, & Sibi Ipsi ad  
universam, quæ per naturam illi-  
us perfectissimam ei convenire po-  
test, Felicitatem sufficit, & omni  
Creaturæ, præsertim Rationali, quam  
sicut ad Similitudinem Naturæ, &  
Cogni-*

Cognitionem Sui, ita ad Unionem secum, produxisse censendus est.

THES. II.

**D**EUS, sicut per Infinitatem, Omniscientiam, Omnipotentiam & Omnisufficientiam suam Se Ipsum in æternum præstare usque Beatissimum vult & potest; ita & Creaturam Rationalem sibi per naturam similem, & in Statu Primævo per liberam Subordinationem Sui, in Statu Restituto per Subordinationem Sui divinâ gratiâ sublevatam se ad ejus Voluntatem habituali & radicato proposito componentem, Beatam præstare, & vult, tanquam Optimus & Omnisufficientissimus, & potest, tanquam Omnipotens Dispensator rerum omnium.

THES. III.

**H**Ujus Beatitudinis humane vis ponitur in Unionem Homini cum Deo, quam

quam in hac Vita, tanquam Statu  
Viæ & Curfûs ad præmium, Homo  
Bonus & Deo per Inclinationem  
habitualement Voluntas Similis præ-  
gustat per Conscientiam, in Vita  
altera verò demum plenè percipi-  
et, in tantum, in quantum Creatura  
Finita ex infinito hoc Felicitatis  
omnis fonte participare apta est.

## OBS. I.

Quia DEUS Ens Infinitum,  
Summum, Optimum & Omnisuffi-  
cientissimum est. Creaturæ Rationa-  
lis *Beatitudo Summa*, & quia Gloriæ  
Divinæ nunquam terminandæ in-  
nexa existit, *Beatitudo hæc sine Fi-  
ne & Termino erit.*

## OBS. II.

Quia *Deus Ens Spirituale &*  
*Spiritualiter Vivens est, Beatitudi-  
nem Vitæ* hujus in Piis & Vitæ alteri-  
us in Statu arctioris Unionis Piorum  
cum



cum Deo, itidem *Spiritualem esse par est.*

OBS. III.

Ipsa qualiscunque cognitio Dei ut Entis Optimi, nec non remotio nostri ab Eodem in hac Vita, tum naturale Desiderium ulterioris Cognitionis & arctioris Fruitionis ejusdem, nec non Malorum Hominum prosperitas & Bonorum frequens infelicitas in hac Vita, *alium Statum arctioris cum Deo Unionis* post hanc Vitam superesse abundè demonstrant: quod & Consensus omnium fere gentium politiorum confirmat.

OBS. IV.

*Qui in altera Vita Deo Enti Optimo & Sanctissimo uniri vult, illum jam in hac Vita per habitualem Subordinationem Voluntatis suæ Deo junctum adeoque Bonum & Sanctum fuisse necesse est.* Dum Ens Optimum &

124 C. XII. De Deo Omnisufficiente &c.

& Sanctissimum nihil Sibi Dissimile ad Sui Unionem admissurum esse perspicuum satis est. Quod verò *omnis hominis Bönitas & Sanctitas in Statu presenti tantum in Redemptore Deo Homine ipsiusque merito Deo placere possit*, sola Revelatio nos edocere potest. Adeoque hñc ubi desinit Theosophia Rationalis, ibi incipit Revelatio Supernaturalis. Interim **DEO VERO, ÆTERNO ET IMMORTALI PRO UTROQUE LUMINE SIT LAUS ET GLORIA.**



38  $\frac{19}{12, 19}$

53.

